
LOGICA
NOVA.
SVIS IPSIVS INSTRVMENTIS FORMATA ET RECOGNITA,

A
FAVSTO VERANCIO
EPISCOPO CHANADII.



VENETIIS, M.DC XVI.
Apud Ambrosium, & Bartholomęum Dei.

ANTONIVS CORNICINVS in Logicam Reverendissimi Domini FAVSTI VERANCII.

En Logicæ statuam, Faustus de scrobibus udis,
Et densis spinis, confractam colligit, inde
Membra suis membris aptat, ferruminat arctè,
Levigat, extergit, tandem base collocat alta.

THEODOSIVS GRADENSIS. in eandem.

Non est hic Lullus, Lector, non deniq; Ramus,
Est modica, at solidis Ramis Radicibus Arbor,
Quę gratos vernans fert flores, folia, fructus.

PLATO.

Rationes sunt instrumenta Philosophorum.

Idem.

Si Verba vbi opus est contemneremus, prudentia & eruditione diciores essemus.


Idem.

Multi circa Vocabula occupantur, non intendentes in ipsas Res, de qvibus loqvuntur. Inde postea fit, ut multę in utiles qvęstiones, & disputationes oriantur, qvæ intellectum perplexum reddunt.

Horatius in Arte Poetica.

Qvicquid præcipies, esto brevis, ut cito dicta
Percipiant animi dociles, teneantq; fideles.

AD LECTOREM.





NOS qvidem, dum hæc edimus, nostram prodimus inscitiam, magis profecto discere qvàm docere cupientes. At dolemus esse plerosqve huyus professionis homines, qvi neqve discere, neqve docere velint. Nam rogati, ut suam apponant censuram; cum neqve approbare audeant, neqve refellere sciant, non habere se tantùm ocij causantur: interim hæc nostra uti nova naso suspendunt, se magnos Logicos & Metaphisicos, apud suos discipulos venditant. Solùm qvandam temporis præscriptionem, & multitudinem eorum qvi à suis partibus stant, prætendunt. Ac si nos similibus omnino destituti essemus auxilijs, & non magis ratione, qvàm auctoritate Ars Rationis niteretur; neqve temporis successu, omnes Artes & Scientiæ adolevissent. His igitur Papagallis posthabitis, convertimus nos ad viros eruditos & ingenuos, qvos sedulò petimus, ut nostros errores, qvos fortè plures invenient, amicè demonstrent: adeò enim id non ægrè feremus, vt tamqvam magno beneficio affecti, magnas etiam gratias eis habituri simus.

DE LOGICA.



OGICA, seù Dialectica, est Ars discendi & docendi Scientias. vel: Est modus Orationem Ratione digerendi.

Hinc appositè eam Graci Logicam vocant; hoc enim vocabulum, & Rationem & Orationem significat.

Duas Species Logicæ ponunt aliqui, nẽpe Docentẽ & Vtentẽ. Voluerunt dicere, eã quã Docemur, & qua utimur: At hæ neqvè Species, neq; Partes Logicæ sunt. Nã manẽte utrobiqvè eodem Subyecto, tantùm qvædam Passiones suæ prædicantur de ipso, qvales innumeræ esse possunt. Huyusmodi Divisiones non sunt essentiales, sed accidentales & futiles. Eadem enim Logica, Rhetorica, & Grammatica est, qvam in scholis pueri Docemur, seu Discimus; & ea, qva postea in foro, senatu, alyjsq; locis, & temporibus Vtimur. Sicuti eadem est Securis, qvam Faber Ferrarius fecit, & ea qva Faber Lignarius dolat: idem Eqvus qvem Domi alui, & is qvo in Bello utor. In scholis de Arte agimus, extra scholam ex Arte loqvimur. Melius alij faciunt, qvi dividunt Logicam in Naturalem & Artificiosam. Nobis de ea, qvæ sub artem cadit agendum est; hæc enim illam perficit.

PArtes Logicæ sunt tres: Prima agit de formanda Definitione, Secunda de Divisione, Tertia de Argumentatione, Ratiocinatione, seu Confirmatione.

Hæc sunt tria illa Instrumenta, qvibus omne genus Disserendi, seu omnis ratio Docendi continetur. Nam qvicqvid Philosophus dicit, unum est ex ijs tribus, aut membrum eorum. In primis etenim Definit Subyectum, qvod præ manibus habet: deinde Dividit illud; tertiò si qvid dubij est in ijs qvæ dixit, ratione Confirmat; sicq; munus Docendi absolvit.

Sunt qui contendunt Divisionem esse priorem ordine Definitione; verùm falluntur, habentq; contra se Platonem, Porphyriũ, D. Augustinum, & Ciceronem, qui præter alium locum, statim in principio Officiorum: Omnis, inquit, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio, debet à Definitione proficisci; ut intelligatur, quid sit id de quo disputatur. Nam illa quæ aliquando ante Definitionem fit in Oratione Divisio; magis propriè cognominanda est Separatio, seu Rejectio. Separamus siquidem, & Rejicimus, à proposito nobis Subjecto, si quæ sunt Aequivoca, si quæ Partes, aut Species affines eidem Subjecto; & profitemur nos de eis nihil agere velle. Hæc autem Divisio est illa, quæ postquam per Definitionem enucleatum est, quid & quale sit illud Subjectum; ipsa deinceps ejus Species & Partes, enumerat & recenset.

Inventio, & Judicium, non sunt Partes distinctæ ipsius Logicæ, uti quidam volunt, neque potest de illis separatim agi: sed sunt magis facultates, seu operationes Memoriæ & Intellectus nostri, quæ Logicis præceptis mirificè adjuvantur. Etenim Logica primum Loca ostendit, in quibus quid sit de quacunque re dicendum, quæri ac Inveniri possit; deinde Leges præscribit, quibus an benè, vel malè dictum sit, Judicari ac discerni possit.

Connumerant alij Resolutionem, alij Methodum his membris Logicæ: At mea sententia, Methodus nihil aliud est, quàm benè ordinata Divisio, quæ tunc dicitur Resolutiva, quum Subjectum, si Genus sit in suas Species, si verò Totum in suas Partes, Dividitur. Ex altera parte, Compositiva Methodus dicitur, quum ab infimis Speciebus, ad magis ac magis communia Genera, vel à minimis Partibus ad majores, usque ad ipsum Totum (quod erat Subjectum) certo ordine ac numero, in doctrina Colligendo proceditur. Nos in hoc opusculo utràque utimur: Nam (uti hic videre licet) in primis Logicam in tres Partes Resolvimus, deinde singulas earum, in plures Propositiones, Propositiones in Terminos partimur. Vice versa regrediendo ab ultimis Terminis; ex ipsis Propositiones; ex Propositioni-

positionibus Definitiones, Divisiones, & Argumentationes Componendo efficimus. Tunc videlicet Methodicè de aliquo subyecto loquimur; quum nihil eorum, quæ de eo scitu digna sunt, dicere prætermittimus; nihil supervacaneum addimus, nihil repetimus. Ex univocis non facimus æquivoca, nec ex æquivocis univoca, id est, ex una Re non facimus plures, nec ex pluribus unam. Item quum ea, quæ primo loco dicenda sunt, non postponimus, et quæ postponenda sunt, non præponimus: sic ritè cuncta disponimus, & concinnamus.

Sunt alij, qui Argumentationem, alij qui unam tantùm speciem Argumentationis, id est Syllogismum, ponunt pro Subyecto adæquato totius Logicæ. Hy videant quæso quomodo Argumentabuntur, nisi priùs aliquam Positionem statuant, de qua sit disceptandum: At omnis eyusmodi Positio, seu Enunciatio, est pars Definitionis aut Divisionis. Meritò igitur ista quoque duo Instrumenta Docendi, inter Partes Logicæ numerari debent. Neque est, quod dicant Definitionem & Divisionem esse membra Argumentationis; sæpè enim Philosophus Argumentatur, & non Definit nec Dividit, vicissim sæpè Definit vel Dividit, & non Argumentatur. Itaque distincta sunt hæc ab invicem. Quin potiùs Argumentatio, istis duobus Instrumentis deservit. Nam quemadmodum Orator, in primis Narrationem facit, deinde eam ubi dubia esse videtur, Rationibus & Testimonijs confirmat; Ita & Philosophus, primò Rei de qua agit, Naturam describit, & Species Partesque eyus dinumerat; & postea si oportet, ea quæ asseruit Argumentis devincit.

Nos autem dicimus, Orationem Docentem esse Subyectum adæquatum Logicæ, & eandem Orationem, ponimus pro Genere harum trium Partium, seu instrumentorum Logicæ. Docet enim Logica, quomodo sit Docendum, uti Plato in Sophista ait, & Suarez in sua Metaphisica Disp. 1. Sect. 5. num. 30. 37. Id est, omnibus Doctoribus, in quacunque Facultate, modum ostendit, seu dat Formam, sensatè & solidè disserendi; ipsæ autem Facultates, singulæ suas Materias subministrant.

Habet verò Logicus pro sua Materia, quædam vocabula

Di-

Dictionum, ac Sententiarum suæ artis, quæ alij Nomina Secundæ Intentionis nuncupant, quarum præcipua his vocibus, vel earum sinonimis appellantur. Terminus, Subyectum; Prædicatum: Enunciatio, Vniversalis, Pluralis, Singularis; Affirmativa, Negativa, Recta, Obliqua; Definitio, Prædicamentum, Existētia, Essentia, Qvalitas, Qvantitas, Tempus, Locus, Actio, Passio, Efficiens, Finis. Item Divisio, Totum; Partes, Genus, Species; Argumentatio, loca Argumentationum, singulorumqve Locorum nomina; Argumentum, Demonstrativum, Dialecticum, Sophisticum; Sillogismus, Enthimema, Inductio, Exemplum, Modus, Figura, &c. de qvibus nos hic ordine singillatim agemus.

Singulæ hæ Partes, seu Instrumenta Logicæ, ex pluribus Enunciationibus compinguntur.

Singulæ autem Enunciationes simplices, ex duobus Terminis constant.

Vt igitur à minimo huyus artis membro incipiamus, & ad mayora procedamus.

DE TERMINIS

Terminus est Vocabulum seu Dictio, Rem aliqvam præcipuam in Oratione significans.

Omnis autem huyusmodi Terminus, habet aliqvem respectum, alter ad alterum, & sic vel Subyectum vel Prædicatum nominatur.

Subyectum est Terminus, de qvo aliqvid dicitur, ut: Homines, Lapides.

Prædicatum verò est Terminus, qvi de Subyecto dicitur, seu prædicatur, ut Albi, Sudant.

Item Terminorū alius est Vniversalis, ut: omnis homo, seù omnes homines; alius Pluralis, ut: multi homines, alius verò Singularis, ut; unus homo.

Item Terminorum, alius est Genus, ut: Animalia, alius

Species

Species, ut: Homines, alius verò Individuum, ut: Petrus.

Vel Genus, ut: Mouentur. Species, ut: Currunt, Individuum, vt: ut Currit.

Vel: Genus, ut: Currunt, Species, ut: Fugiunt, Individuum ut: Fugit.

Item Termini, alij Vnivoci, alij Aeqvivoci, alij Analogi, alij Denominativi, &c.

Item Terminorum, alij significant Substantiam, alij Accidentia.

Substantia est Res, qvæ per sè subsistit, ut: Homines, Lapides.

Accidens autem est, qvòd Substantiæ accidit, ut: Albi, Cadunt.

Horum Accidentium aliqva sunt Communia: aliqva Propria: Item aliqva Separabilia, aliqva verò Inseparabilia a suis Substantijs.

Sinonima horum Accidentium: *Adyunctum, Appositum, Annexum, Attributum, Adhęrens, Affectio, Passio, Circumstans, Epitheton, &c.*

Ii, qvi dividunt Terminos, in Mentalem, Vocalem, & Scriptum, & multis alijs modis simrlibus; nihil agendo nugantur. Qvi verò altiùs incipiunt, & de Sono ac Voce, vel de Nomine ac Verbo tractant: in rem alienam involant. Manifestum enim est, tractationem de Voce & Sono ad Phisicum, de Nomine autem & Verbo, ad Grammaticum spectare: Terminos autem esse propria, sola, ac prima Logicorum elementa.

DE ENVNCIATIONIBVS.

ENunciatio Logica simplex, est Oratio docens, brevissima, perfecta tamen; & aliqvid certi indicans, vt: Homo est rationalis, Satiri non sunt.

Id fit cum uni Subyecto, unum Prędicatum adnectitur. Enunciatio autem Composita est, qvę pluravel Subyecta, vel Prędicata in se continet; idest, in plures Enunciationes simplices resolvi potest, ut: Deus Mundum condidit, & gubernat

Homines, & Iumenta salvabis. Si Sol est, dies est. De hac nos nihil agemus.

Sinonima Enunciationum; *Positio, Propositio, Pronunciatum, Effatum, Eloqvium, Eloqvutio, Dictum, Assertio, Assumptio, Indicatio, Prædicatio, Sententia, Conclusio, Qvæstio, seu Qvæstionis Responsio, Problema, Theorema, Thema, Thesis, Axioma, &c. Hæc enim omnia idem ferè significant, tantùm aliqva ratione ab invicem differunt.*

Partes essentiales Enunciationis sunt duæ, nempè Subyectum, & Prædicatum, de qvibus superiùs locuti sumus.

Illud Materiæ, hoc Formæ vices gerit, Et aliqvando subyectũ convertitur in Prædicatum, & vicissim Prædicatum in Subyectum. Adduntur ijs duobus Terminis in Enunciatione, Signa, Copulæ, & alia plerumq; vocabula, qvæ eos modificantur, & Enũciationum perfectum sensum efficiunt. Exempli gratia, si dicas: Deus condidit Mundum. Et vicissim si dicas: Mundus à Deo est conditus: In priore Enunciatione Deus est Subyectum. Mundus verò Prædicatum: In altera verò, Mundus est Subyectum Deus Prædicatum. Condidit & Conditus est, sunt copulæ.

Species autem Enunciationum dignæ notatu, secundum Qvalitatem qvidem sunt duæ: altera est Affirmans, altera Negans. Secundum Qvantitatem vero tres: Alia nanq; est Enunciatio Vniversalis, alia Pluralis, alia Singularis.

Exemplum Enunciationis Vniversalis Affirmativæ: *Omnes homines sunt rationales*. Negativæ: *Nulla Bruta loqvuntur.*

Exemplum Enunciationis Pluralis Affirmativæ: *Aliqvæ stellę sunt errantes*. Negativæ: *Non multa animantia ruminant.*

Exemplum Enunciationis Singularis Affirmativæ: *Sol omnia illustrat*. Negativæ: *Mundus non est ab ęterno.*

Hæc Qvantitas & Qvalitas, in omni bona Enunciatione necessariò semper inest. Et Qvantitas qvidem in Subyecto, Qvalitas verò in Prædicato habet suum locum. Itaq; Enunciatio Indefinita, qvam alij ponunt, nulla esse debet apud Logicos. Non enim convenit Definitioni, aut Divisioni Enunciationum

idest

id est nihil certi indicat, nullamq. Qvantitatem habet; sed est ambigua, generat errorem, & contentionum causas seminat, ut si qvis dicat: Homo currit: nescitur an de omni, an verò de uno homine loqvatur. Vel si dicat: Homines currunt, itidem incertum est, an de omnibus, an verò de aliqvot hominibus hoc dicat. Ideo interpretatione indiget, ut sit Oratio perfecta, & clara; siqvidem Logicum perspicuè loqvi oportet. Id autem fit, cum Subjecto suum Signum Qvantitatis apponitur, nisi sit manifestum, & subaudiatur. Signa universalia, (uti cuiqve notum est) sunt ista: Omnis, Universi, Nullus, Nemo, &c. Pluralia autem; Multi, Pauci, &c. Singularia: Unus, Solus, Iste, Ille, Plato, Socrates, &c.

Item alia Enunciatio seu Prædicatio est Recta, alia Obliqva. Recta dicitur ea, cujus Prædicatum est in Recto casu, ut: Deus est omnipotens, &: Homo est Animal. Obliqva verò est, cujus prædicatum est in obliquo casu, ut: Deus condidit Mundum. Vel: Mundus conditus est à Deo: utraq; æqve bona est apud Logicos, sicut & apud Grammaticos. Hanc prædicationem Obliqvam non omnes cognoscunt, cum tamen freqventior sit qvam altera.

Item aliqva Prædicatio est Generis de sua Specie, ut: Homo est Animal; Vel idem clarius: Omnes Homines sunt qvędam Animantia. Aliqva verò Prædicatio est, qva vice versa Species de suo Genere prędicatur, ut qvum dicimus: qvędam Animalia sunt Homines, qvędam verò Boves &c. Simili ratione, aliqvando Pars prędicabitur de suo Toto, ut: Omne Animal habet caput. Et vice versa Totum prędicabitur de sua Parte, ut: Omne caput est alicujus Animantis membrum. Hęc alterna & reciproca Prędicatio, non omnibus forsan arridebit, videlicet ea in parte, qva dicimus, Speciem de suo Genere prædicari. Nam regula generalis est apud eos, magis universale de minus universali benè prædicari, nec tamen versa vice. Ignoscant qvęso, usus enim & ratio contra ipsos militant. Non animadvertunt etenim, esse necessarium, ut Subjectum, & Prędicatum, sint ejusdem Qvantitatis, ut benè cohæreant: alioqvin non benè inęqva

les veniunt ad aratra juvenci. Nam in huyusmodi Enunciationibus, neq; Genus & Totum habent aliqvid amplius, qvàm earum unaqveq. Species & Pars; neq; vicißim Pars aut Species aliqvid minus habet, qvàm suũ Totum, aut Genus. Qvum enim dicimus: Omnis Homo est Animal: nō intendimus dicere, omnes Homines eße omnia Animalia; sed Omnes Homines eße qvędam Animalia. Iste nanq; Terminus (Animalia seù Animal) in hac Enunciatione, nō est universalis, uti ipsi allucinantur, sed est Pluralis, & est eyusdem Qvantitatis, cum altero Termino Speciei universali, idest, cum Omni Homine. Non sumitur inqvam hic Genus, in tota sua latitudine, sed pro una sui portione, qvæ sit suæ Speciei, de qva prædicatur æqvalis. Vice versa, si dico: Aliqvod Animal est Homo; seù: Qvædam Animantia sunt Homines: hic licet Species de suo Genere prædicetur; nihil tamen absurdi dicitur, nec minus in Specie continetur, qvàm in Genere, sed sunt utraq; eyusdem Latitudinis seù Qvantitatis. Hoc idem sentiendum est, de Toto cum sua Parte, hoc idem de Specie cum Individuo; nempe qvod alterum de altero alternatim, rectè interpretatum, rectè prædicetur. Sicut enim benè dico; Petrus est Homo: ita non minus benè dico: Homo est Petrus. Hac nimirum interpretatione: Iste Homo, est vel vocatur Petrus. Hæ etenim Propositiones æqvipollent, si non mutilæ & indefinitæ exprimantur, sed suis Signis Qvantitatis notentur, uti superiùs admonuimus eße faciendum.

Multi multas alias, sed meo tenui yudicio, minus opportunas, afferunt hoc loci Enunciationum Species. Nos, uti videre est, primo loco illas binas omninò neceßarias, deinde istas alias duas, iis qvidem, qvi circa Vocabula occupantur, & Res de qvibus agunt, penitiùs non inspiciunt, qvos Plato perstringit, nō adeò notas, at bonas Enunciationum Divisiones seù Differentias, in medium produximus. Neq; tamen dignabimur locum dare aliqvem, illi cœleberrimę Divisioni, qvam pleriq; omnes, reliqvarum cunctarum principem faciunt. Hæc illa est, qva Enunciationes in Veras, & Falsas partiuntur. Non enim Logici, sed alterius Artificis munus est, investigare & cognoscere,

scere,

scere, quę Vera quęvè Falsa, de aliqua Re sit Enunciatio. Sufficit Logico si cognoscat, quę Bona vel Mala sit. Quod tunc fiet, quando Enunciationi, quam prę manibus habebit, applicaverit Definitionem, ac Divisionem Bonę Enunciationis. Hoc est quùm viderit, si certi aliquid indicet, si denique ex Subyecto, & Prędicato constet. Tunc sistat gradum, & non quęrat, si Vera sit vel Falsa; Hoc enim minimè solo Artis suę pręsidio, sed magis earum, qua de ijs Rebus ex professo tractant, consequi poterit. Damus exemplum: Sex tantùm sunt Cœli. Hęc Enunciatio apud Logicos quidem bona est; at apud Astronomos Falsa est. Cur bona sit, Logici quà Logici sunt, uti pręnotavimus, facilè scient; cur Falsa, nesciunt, nec scire possunt, & in Astronomia versati sint; Itaq; de Veris ac Falsis Enunciationibus sileant.

De Oppositionibus, Aequipollentijs, Conversionibus, Modalitatibus, & cęteris si quę sunt Enunciationum affectionibus: Ita etiam de Suppositionibus, Restrictionibus, Ampliationibus, Appellationibusq; &c. alijs agere permittimus.

I. DE DEFINITIONIBVS.

DEfinitio, est Oratio docens, qva alicuyus Subyecti, id est Rei propositæ, Natura describitur.

Sinonima Definitionis: *Descriptio, Declatatio, Narratio, Historia &c.*

Species Definitionis aliqvi duas ponunt, unam qvidem vocant Nominis, alteram Rei. Definitio Nominis, seù potiùs Dictionis Interpretatio, sicuti & Divisio Aeqvivocorum, qvàm magis propriè Distinctionem vocare possumus, licet sint ordine primę in doctrina: magis tamen ad Grammaticos pertinent, qvàm ad Philosophos: Hij enim Res scrutantur, illi Vocabula: attamen Logicus utrisque sua Instrumenta commodat.

Partes Definitionis perfectissimæ (ea autem est Substantiarum perfectissimarum) sunt ipsa decem Prædicamenta.

Tot enim de qvacumque, perfecta Substantia, Interrogationes seù Quaestiones aut Praedicationes, utiles & necessariae fieri possunt.

Sinonima harum Partium Definitionis, seù Prædicamentorum: *Loca, Sedes, Classes Praedicatorum, Observationes, Considerationes, Contemplationes, Conceptus, Attributa, Quaestiones, Affectiones, Notationes, &c.*

Prima Qvæstio est: An sit *illud scilicet Subyectum de qvo agimus: seu an existat illa Species in Rerum natura: an sit Ens Reale, ad differentiam Entis Rationis, de qvo Phisicus non agit. Multa enim dicuntur, qvae non sunt Reipsa, sed in solis Verbis cōsistūt, vel in phantasia finguntur, ut sunt Griphi, Cētauri, Sirenes, plures Mundi, & c. Multa vicissim Re ipsa existunt, qvae tamen nullo sensu, sed sola ratione cognosci possunt, uti plures esse Caelos, esse Ignem elementalem supra regionem aeris, esse Intelligentias, &c.* 2 Qvid sit, *nempe ea Res, de qva agimus, idest ex qva Materia cōstet, ex qva Massa desumpta sit, seu uti Logici loqvuntur, qvod Genus, qvod Totum eyus sit.* 3 Qvalis sit, *id est qvae Forma eyus, seù, ut ÿdem loqvuntur, qvae Differentia, qvaevè Qvalitas, qvae eam à caeteris Speciebus eyusdē Generis distingvat.* 4 Qvanta sit, *id est qvis Modus, qvae Magnitudo, qvae Mensura, qvis Numerus eyus.* 5 Qvando est, *id est qvae AEtas, qvae Duratio, qvod AEvum, seu Tempus eyus.* 6 Vbi est, *id est qvis Locus eyus nativus sit.* 7 Qvid Agat, *id est cuyus Rei sit Causa Efficiens, seù qvis eyus Effectus, qvae Operatio, qvae Vis, qvae Virtus, qvae Facultas, qvòd Munus peculiare.* 8 Qvid Patitur, *id est qvibus malis aut bonis sit Obnoxia, qvos Motùs seù qvas Mutationes paciatur, qvae Vitia, qvae habeat Contraria, seù Adversantia, qvae sint qvę eam Corrumpant aut Perficiant.* 9 A qvo sit, *id est qvis eyus Author, Effector, seù Causa Movens, Efficiens.* 10 Ad qvid sit, *id est ad qvem Finem, Scopum, Metam tendat, cuyus sit Vtilitatis, qvid Boni, qvidve Commodi afferat.*

Hic

Hic perspicuè videre est, quis Vsus, quis Locus, quis denique Numerus Prædicamentorum, in Arte Logica esse debeat. Aristoteles quatuor tantùm de quacunque Re enumerat Quæstiones. 1 An sit. 2 Quid sit. 3 Qualis sit. 4 Cur sit. Quo consilio reliquas omiserit, non possum assequi: Vel qua ratione omnes reliquæ, ad has quatuor commodè reduci possint, uti aliqui persuadere conantur, non video. Nos in omni perfecta Definitione, non plures neque pauciores, sed solas has decem Quæstiones reponimus. In Divisione duas, in Argumentatione: unam omnes numero tredecim, quibus omnem cuyuscunque Subyecti Phisici dicimus comprahendi scientiam. Tunc demum etenim cuyuscumque Substantiæ naturam perfectè cognoscimus, cum non solùm Causas eyus, sed omnes has Prædicationes, de ea examinamus. Horum Prædicamentorum, qui velit Definitiones atque Divisiones cognoscere; poterit apud eos id consequi, qui in suis Phisicis & Metaphisicis, fusè de istis disserunt, at propriè huc spectant, uti paulò post clarè demonstrabimus.

EXEMPLVM DEFINITIONIS SVBSTANTIARVM, digestæ per hæc decem Prædicamenta, seù Quæstiones.

Quæst. 1 An. 2 Quid. 3 Quales. 4 Quanti. 5 Quando. 6 Vbi. 7 Quid Agentes. 8 Quid Patientes. 9 A quo. 10 Ad quid sunt Elephantes?

Resp. Elephantes 1 sunt. 2 quædam Animantia. 3 Apris quidem forma corporis similia. 3 intellectu verò hominibus proxima. 4 omnium terrestrium maxima. 5 vivunt ad ducentesimum & amplius annum. 6 inveniuntur in Aphrica & India. 7 horrendum ore sonum edunt, quem barritum vocant. 7 gaudent amnibus. 7 cum ingentibus Draconibus bellum perpetuum gerunt. 8 minimo Suis grunitu terrentur. 8 & sunt frigoris impacientia. 9 creata à Deo Optimo Maximo. 10 ut hominibus sint stupori. & ministerio: nam turres armatorum ferunt, magnaque ex parte bella orientis perficiunt, aliaque obsequia præstant, &c.

Ex singulis his Locis, seu Prædicamentis, non tantùm singulas, sed quandoque plures Enunciationes assumere datur, quum nempè plura ejusdem Loci prædicata occurrunt, quæ sint aliqua consideratione digna; uti nos fecimus in hoc exemplo, videlicet loco tertio, septimo, octauo, & decimo. Et quamvis adhuc plures sese offerebant, ad describendam totam naturam Elephantorum, neque ea quidem ociosa: nos tamen breuitati studentes, eas (data opera) omisimus. Quandoque autem omninò nullam accipimus, quum nempè Subjectum, de quo agimus, secundum illam prædicationem, vel nobis ignotum est, vel ex aduerso omnibus manifestum. Vti hic, ea quæ nono loco dicta sunt, meritò reticeri poterant. Cui enim dubium est, omnia quę sunt, à Deo esse condita? At nos ea gratia exempli apposuimus, ut Definitio, quam delineamus, omnibus numeris plena appareat. Est vicissim fortè in natura horum Animantium aliquid, dignum quidem illud consideratione, sed quod nostram cognitionem effugit: ideo Definitioni ejus à nobis addi non potest.

Hę decem Quęstiones, seu hæc decem Prędicamenta, sunt Loca, Prędicatorum uti diximus, perfectissimarum Definitionum, & deseruiunt perfectissimis Substantijs, Nam minus perfectę Substantię, habent minus perfectas Definitiones; Ita etiam Partes Substantiarum, habent imperfectas Definitiones, & tantò magis ipsa Accidentia, quum sint quędam imperfecta Entia, ideoque pauciora Prędicata habebunt. Et quamvis hęc Loca, seu Prędicamenta, sint peculiaria Phisicorum; eorum tamen inditio ac ductu, & Theologi, & Medici, & Historici, & alij, suas Definitiones formare, & Narrationes facere poterunt, quarum aliqua exempla hic subjicimus, si prius adhuc unam Phisicam posuerimus.

De-

Desinitio Phisica Individui.

Terra. 1 est. 2 unum ex quatuor Elementis, 3 siccum, 3 inter reliqua maxime densum. 3 ideoq; gravissimum. 4 licet minimum. 6 in centro Mundi positũ. 8 mayori ex parte ab aquis tectum. 9 à Deo Optimo Maximo, 5 in principio, unà cum cœlo conditum. 10 ad variarum animantium, in primis autem Hominum habitationem. 7 pro quorum sustentatione, herbas fructusq; diversos, multaq; alia producit.

Definitio Thologica Angeli boni.

Angeli boni, 1 quamuis nullo sensu percipi poßint, reipsa tamen existunt, 2 & sunt Spiritus. 3 divini, creaturarum omnium nobilißimi. 4 nulla quidem mole, sed essentia ingentes. 5 immortales, 6 cęli incolæ. 7 fęlicitate summa fruentes, 8 nullo unquam malo obnoxij. 9 à Deo Opt. Max. 5 statim ab exordio Mundi. 10 ad gloriam, & laudem suam conditi.

Definitio Medica membri Animantis.

Pulmo 1 est. 2 membrum Animantis 3 spongiosum. 3 figuram habet ungulæ bubulæ, exterius convexam, intus cavam, 3 quatuor fibris distinctam, 3 magniudo eius est secundum magnitudinem thoracis, 6 nam in pectore est positum, inter fauces & ipsum Cor, quod complectitur, 7 non habet sensum vel saltem modicum, neq; motum sed à thorace movetur. 8 est obnoxim intemperiei, obstructioni, compræssioni, irritationi vomice, tumori, qui generali nomine dicitur inflammatio, & Peripneumonia. &c.

Definitio morbi.

Peripneumonia 1 est, 2 Inflammatio Pulmonis, 3 cum febre acuta, 4 est morbus vehemens, adeo ut pauci eo affecti diem

ſeptimum, qvin moriantur effugiant. 5 plerumque homines conſtanti ætate præditos invadit. 5 magis hiemali tempore regnat. 6 & in regionibus occidentallibus. 7 tantam ſpirandi difficultatem facit, ut ſuffocare videatur. 7 generat tuſsim, cum diſtentione thoracis. Signum huyus morbi, eſt rubor genarum, & ſputum ſpumoſum. Remedia ſunt, miſsio ſangvinis è vena baſilica, ſtatim in principio morbi; evacuatio materiæ per medicamenta lenientia, ut ſunt caſsia, manna, & ea qvæ ſputum promovent. Sed inter innumera ſimplicia medicamenta pectus emundantia, non ultimum locum tenet Helenium, &c.

Notandum eſt duo eſſe hic Loca peculiaria, nempè Signorum, & Remediorum, huyuſmodi Definitionibus morborum neceſſaria, aliis minimè. Cauſam Efficientem omiſsimus, qvia neſcivimus: octavus & decimus Locus, hic non deſerviunt.

Definitio Plantæ.

Helenium, qvod & Enula campana dicitur. 1 eſt. 2 Planta. 3 calida & ſicca in ſecundo gradu, 3 folia habet ſimilia foliis Verbaſci, 4 ſed latiora, & longiora, 3 hirſuta, ac in acutum deſinentia, dorſo prominente, radice magna, tortuoſa, exterius nigreſcente, intus alba, ſapore amara. 3 ſemen habet itidem Verbaſci ſimile. 4 caulem bicubitalem, ac etiam mayorem, cr aſſum, hirſutum, anguloſum; 3 flores aureos. 5 naſcitur tempore verno, floret autem menſe Yulio. 6 reperitur in locis uliginoſis, & montoſis. 7 mundat pectus & pulmones à craſsis humoribus. 10 confert læſionibus yuncturarum frigidis, &c.

Definitio Partis Subſtantiæ.

Barba, eſt. 2 congeries pilorum, 6 in mentis virorum, ab utraqve aure ducta, 5 circa viceſimum plus minus annum ſuccreſcens, circa quadrageſimum caneſcit, 4 ſi non tondeatur, aliqvibus ad ſpitamæ longitudinem, aliis ad duas & amplius excreſcit. 8 morbo gallico infectis, unà cum capillis ſolet defluere. 8 varii

rij eam varijs incisuris deformare solent, 10 majoris certè molestiæ quàm commodi, nisi quod virilitatem quandam demonstrat.

De Definitione Historica.

Hac ratione si Historicus velit personam Didonis describere; primo dicat oportet, An fuerit unquam Dido, multi enim de hac re dubitant. 2 Quid fuerit, id est quibus virtutibus, quibusvè vitijs imbuta. 4 Quàm magna, & potens, nempè opibus, militia, provincijs. 5 Quando, id est quo ævo floruerit, & quàm diù vixerit. 6 Vbi nata sit, ubi educata, ubi regnaverit. 7 Quid præclari gesserit, id est quomodo Carthaginem condiderit, armis, legibusque muniverit. 8 quæ domi quæ in fuga ex Phœnitia, quæ tandem in Aphrica, à vicinis regulis & ab Aenea passa sit. 9 qui Parentes eyus, qui Affines, unde genus traxit. 10 qui finis actionum eyus, nempè gloria, &c.

De Definitione Geographica.

Si verò aliquam Provintiam Geographus assumat describendam, his Locis commodè uti poterit. Primò dicat, Vbi sit illa Regio, hoc est in qua parte orbis, quo gradu Latitudinis, & Longitudinis. Secundò quo Situ, id est, quas regiones à quatuor ventis finitimas habeat. Tertiò quæ sit eyus Quantitas seu Magnitudo, id est quot millia passuum habeat Longitudinis, & Latitudinis. Quartò in quot Partes seu Conventus dividatur. Quintò quos Montes, Campos, Saltus, Fluvios, Lacus insignes habeat, quas Vrbes, &c. Sextò quos Fructus, quas Fruges proferat; quàm dives Pecoris, Piscium, Volatilium, Metallorum, &c. Septimò quarum rerum vicissim penuria laboret, qua sterilitate soli, quavè aeris intemperie sit, &c.

De Definitione Politica.

Quod si Politicus alicuyus Reipublicæ statum narrare proponat: hæc fere Loca præ oculis habere debebit. Quę eyus origo, & quis finis fuerit: quæ amplitudo imperij; quæ forma Reipublicæ: qui Magistratus, quę Religio: quæ Leges, qui Census publici; qui privati; quæ Mercimonia externa, & interna: quæ Militia, quæ munitiones; qui denique Mores hominum, quæ Studia; qui Habitus, quæ Lingua. &c.

In istis Definitionibus statuendis, si quis fortè Theologus, Phisicus, Medicus, Historicus, nos minus rectè ex artis suæ præceptis dixisse animadverterit; rideat licet, at non irrideat, & sciat nos hic, non ipsorum facultates vel scientias, sed Logicam profiteri: Logicus autem agnoscat, quid Logica, absque alijs Artibus per se possit. In pluribus autem huyusmodi Locis inveniendis, multi alij me sagaciores esse poterunt; nos hic tantum viam signavimus.

LEGES BONAE DEFINITIONIS.

Prima Lex Definitionis.

Definitio ne sit amplior neqvè angustior, ipso Subyecto qvod Definitur.

Secunda Lex Definitionis.

Non benè Definitur Subyectum, per ambigua, ignota, obscura, negantia, seù contraria Prædicata.

Tertia Lex Definitionis.

Fiant Definitiones non per fortuita, contingentia, accidentalia, communia, & longinqva; sed per maximè essentialia, & propria, immediata, perpetua, necessaria, inseparabilia, & proxima Prædicata, seù Annexa, aut Attributa sui Subyecti.

Quarta

Qvarta Lex Definitionis.

Non Definias Subjectum per Divisionem suam; sunt enim diversa hæc duo Instrumenta; & singula habent sua propria munia, membra, seu qvæstiones, ad qvas congruè respondendum est, &c.

DE PRAEDICAMENTIS.

Ridebunt multi proculdubio, quod nos hoc tempore, nempè post tot secula, aliqva ex illis, olim ab Aristotele, vel Archita erectis, & hactenus neutiqvam concussis Prædicamentis, subruere, & loco eorum alia fundare moliamur. Hos ego interrogavero, si antiqvis licuit, cuiqve pro suo arbitrio, cùm in multis alijs, tùm in hac ipsa re opinari, & suam dicere sententiam; cur non liceat & nobis? Pitagorici enim ponebant viginti Prædicamenta; uti notat Aristoteles 1. Met. 5. Plato qvatuor, alij plura, alij verò pauciora, uti testantur Philoponus 1 Priorum 2. Simplicius & Paulus Venetus, in principio suorum Prædicamentorum. At non sufficit Philosopho dicere aliqvid, sed oportet etiam ratione confirmare: hæc autem Confirmatio ex Definitione, quæ omnis disputationis caput est manare debet. Ego verò nec Confirmationem, nec Definitionem, sed solam Enumerationem Prædicamentorum apud eos in venio. Successu qvidem temporis, aliqvi ex sectatoribus Aristotelis, Decem illa sua Prædicamenta, miris modis conati sunt fulcire, sed qvàm infirmis fulcris, animadverterunt duo classici Philosophi, ex antiqvis Avicenna, ex neotericis Soarez, Metaph. Disp. 39. sect. 2. art. 12. Addiderunt, & Definitionem, sed meo iudicio, æqvè malè constructam, quę talis est: Prædicamentum Logicè sumitū, nihil aliud est, qvàm Generum & Specierum, usqvè ad Individua conveniens Dispositio, sub aliqvo supremo Genere: qvam Dispositionem, in ordine ad Definitiones, Prædicationes, & Demonstrationes conficiendas, Dialecticus tradit.

Hãc Definitionē præter alios, ponit idem Soarez in eadem Disputatione statim in principio: at hæc in primis non est Definitio,

nitio, sed Divisio seu Dispositio, uti ipsa verba sonant. Deinde falsum est quod Pradicamenta, ad nihil aliud deserviant, quam ad Pradicanda Genera de suis Speciebus. Do exemplũ: Terra est Circularis & Sicca. Itẽ aliud: Boves, & Oves ruminant: Vbi est hic Genus, quod dẽ sua Specie prædicatur? Et tamen istę sunt optime Prędicationes. Alij sunt magis cauti, dicunt enim Prędicamenta, esse summa Genera omnium Entium. Sed hij quoq; magis congruè loquerentur, si dicerent Prędicamenta eße Genera omnium Prędicatorũ. Neq; dicant mihi, eadẽ esse Entia & Prędicata: nam hac ratione Subyecta quibus Prædicata applicantur, nõ esent Entia; sed de his plura in sequenti oratione dicemus.

Nostra autem Predicamenta sunt eyusmodi, ut cognita eorum Definitione quam statuimus, statim prima fronte omnibus appareat, neq; plura neq; pauciora ese pose. Hæc talis est. Prędicamenta, sunt Loca communia, ex quibus asumuntur varia Prędicata, ad describendas Naturas Substantiarum necesaria. Nàm quùm sola Substantia simpliciter sit Ens, & ea propter Philosophis maximè, & primùm, & solù de Substantia sit speculandum, uti benè Aristoteles ait Metaph. 7. tex. 5. Item tot sint partes Phylosophiæ, quot sunt ipsius Substãtiæ, Metaph. 4. tex. 4. Substantia profecto erit Subyectum totius Philosophię, & eadem erit Subyectum omnium pręter se Entium. Ipsa enim eis substat, & est fundamentum eorum: ipsa sola est illud solidum, & per excellentiam dictum ENS, reliqua autem per quandam Analogiam. In ipsa enim consistunt, sine ipsa non sunt, ad ipsam respectum habent, de ipsa concipiuntur & prędicantur, & ideò Prędicata dicuntur; & ex diverso modo, quo eam afficiunt, eorum diversitas, & numerus desumitur, uti D. Thomas, Alensis, & Averroes, ad quintum librum Metaph. Aristotelis notarunt. Etenim licet etiam Accidentia habeant sua Prædicata, hoc est alia Accidentia, quę de ipsis prędicantur, & in his clasibus Prędicamentorum contineantur: Attamen hęc Prędicamenta, præcipuè ad id instituta, vt sũt Substantijs deserviant. Alioqvin & Accidentia, & Accidentium Accidentia, nonne omnia tandem in Substantijs subsistunt?

Hinc

Hinc sequitur Substantiam non benè connumerari, inter Prædicamenta vel Prædicata: Etenim qvùm Subyectum & Prædicatum, sint inter se Antitheta, & Substantia sit Subyectum (uti jam diximus) omnium Accidentium: ipsa non potest esse etiam Prædicamentum vel Prædicatum: alioqvin vel nullum erit Subyectum, sed omnia erunt Prædicata; vel Prædicata de Prædicatis Prædicabuntùr, qvod absurdum est dicere.

Sed instabit qvispiam & dicet; Omne id qvod prædicatur esse Prædicatum, & ideò sub aliqvo Prædicamento contineri: Substantiam ritè prędicari; ideoqve eandem Substantiam, vel Prędicatum esse vel Prędicamentum. Non inficiamur sępenumero unam Substantiam de alia Prędicari, ut qvum Genus, & Differentia Substantiales, de sua Specie Substantiali prædicantur, verbi gratia: Animal & Rationale de Homine. Imo plures alias bonas Prędicationes Substantiarum de Substantijs, præter multorum forsan opinionem, nos ipsi spontè in medium afferemus, nempè has; Hominis Locus naturalis est Terra: Itèm: Homo & Sol generant Hominem. Item: Pisces sunt creati ad cibos Hominum. At in istis, & alijs similibus exemplis non ea ratione prędicatur una Substantia, de alia sibi Subyecta, qva Substantia est. Verùm longè alio respectu, & alia consideratione. In primo etenim exemplo, prędicatur Substantia, qvatenus est Genus & Differentia sui Subyecti; in secundo qvà Locus est; in tertio quà Causa Efficiens est, in qvarto qvà Causa Finalis est sui Subyecti; & hac ratione, Prędicata Substantia induit naturam Accidentis. Sicut & in hijs exemplis; Homines plerunq; sunt alti sex Sedes. Item: ponderant plùs minùs trecentas Libras. Si Pes & Libra materialiter sumantur, sunt Substantiæ; si pro Mensura & Pondere (uti hoc loco fieri debet) sunt Qvantitates, id est accidentia.

In reliqvis exemplis; cędet fortè mihi iste, verùm in primo depręhendet me fateri, ritè prędicari dè Subyecto Substantiali, suum Genus & suam Differentiam, id est uti Aristoteles interprętatur, suam Materiam & suam Formam, Ergo & Substantiam,

qvan-

quandoquidem Materia & Forma Substantiales, ipsæ quoque sint Substantiæ. Id ego non negabo, sed dicam adhuc, in eiusmodi exemplis, Substantiam non ea consideratione prędicari de Substantia, quà Substātia est, sed quà Materia vel Forma est sui Subiecti. Non enim benè quærimus, quæ sit Substantia alicuius Substantię, sed quæ sit eius Materia & quę Forma. Verùm adhuc multò ineptiùs quæreremus, quæ sit Substantia alicuius Accidentis. Quum igitur neque de Substantia, neque de Accidētibus, Substantia ritè Prędicetur; optima ratione excipimus eam è numero Prędicamentorum, & nobiliore loco, prò Subiecto nempè omnium Prędicatorum, quæ sub omnibus Prędicamentis continentur, tanquam Reginam collocamus: Materiam autem & Formam vice Substantię, libentèr intèr Prędicamenta reponimus. Per hoc autem vocabulum Formę, nos utranque. Qualitatem, hoc est, Essentialem & Accidentalem intelligimus, quum hactenus alij tantum Accidentalem inter Prædicamenta habuerint.

Et hæc quidem duo, prima & præcipua sunt Prædicamenta: Nàm statim ut proponitur in medium aliquod Subiectum, de quo sit disserendū, primæ & immediatę Quęstiones sūt, quæ Materia, quæ Forma sit eius. Nisi si tale aliquod Subiectum afferatur, quod non patet sensibus; tunc prius quæritur de eo, An sit in rerum natura, postea demùm quæ sit eius Materia, & quæ Forma. Hinc fit ut illa Prædicatio, istas duas præcedat, & non incongruè potest vocari Prædicamentum Existentiæ. Hoc Prædicamento utuntur ut plurimum ij, qui tractant de rebus Divinis, Spiritualibus, à sensibus longè remotis seu abstractis; & quę solo mentis acumine penetrari possunt.

Positis hac ratione his duobus Prædicamentis. Materię & Formę: necessariò sequuntur alia duo, nempè Efficientis & Finis. Hę enim sunt quatuor illę Causę, quę uti sunt necessariæ ad constitutionem Rerum, ita etiam ad cognitionem, seu scientiam earum habendam. Adeò ut si omnia reliqua Attributa alicuius Subiecti quis cognoscat; ignotis eius Causis, parum se cognovisse fateatur oporteat. Tunc enim nos scire arbitramur,

ut Aristoteles ait, qvum Rem per Causas cognoscimus. Porrò si hę Causę sciri & cognosci debent, utiq; prędicabuntur: qvod si prędicantur, certè in Prędicamentis erunt. Nam alioqvin excludere eas è numero Entium, qvum post Substantiam sint nobilissima Entia, contra omnem rationem esset.

Vindicata Substantia, & insertis inter Prędicamenta qvatuor Rerum Causis; reliqvum est ut ostendamus, cur Relationem, Habitum, & Situm, ex hoc numero eyicimus. In primis Relationem ideò tollimus, qvòd sit una ex Speciebus Oppositionis: Itaqve potiori jure ipsa Oppositio, qvæ est Relationis Genus, illum locum sibi vendicare posset, & sic cęterę qvoqve Species ibi essent. Praterea Aristoteles ponit qvatuor fundamenta Relationis, nempè, Qvantitatem, Actionem, Passionem, & Mensuram (Qvalitatem forsàn dicere voluit loco Qvantitatis; nam Mensura & Qvantitas idem sunt.) His verbis non obscurè innuit, Relationem non fundari immediatè in Substantia, sed in Accidente. At qvum omnia reliqva Prędicamenta, in Substantia sint fundata, seqvitur eam non esse Prędicamentum. Iurisperitis igitur ac Politicis, relinqvamus istas Relationes: Ipsòrum siqvidem est peculiare munus, de Dominis & Servis, Patronis & Clientibus, Actoribus & Reis, Patribus & Filiys, Maritis & Vxoribus, Soceris & Generis, Debitoribus & Creditoribus agere; Philosophus qvi Rerum Naturas, non hominum conditiones & status contemplatur, ista non curat.

Habitùs autem ac Sitùs Rerum Naturalium, aliarum qvidem mayori èx parte, omnino nulli sunt, aliarum verò Voluntariy ac Fortuiti; & ideò ad cognoscendam Naturam earum, qvam Philosophus scrutatur, minimè necessariy. Ipse enim Attributa Rebus congenita, certa, & ęterna, & qvę aliter esse nō possunt meditatur; & ideò nō spectat ad eum, Habituum ac Positionum Contemplatio. Alioqvin dicant mihi isti, qvis Philosophorum immoratus est, in speculandis Habitibus Hominum, qvi soli propriè eis utuntur? vel (qvod magis ad eum pertinere videtur) in Positionibus Brutorum & Arborum aut similium.

D Consi-

Considerans scilicet, quomodo illa prona incedant, hæ radicibus deorsum inversis, ramis autem sursum erectis consistant.

Quid quod Aristoteles ipse, quum 5. Met. 7. Prædicamenta enumerat, horum duorum nullam mentionem faciat? Averroes autem, magnus ille suus Commentator, eodem loco spontè fateatur, ea parvi esse momenti, imò nullius considerationis. Adde quòd vera Prædicamenta, debent esse communia omnibus Substantijs; Omnes enim habent aliquam Qualitatem, Quantitatem, Tempus, Locum, &c. Ista autem asserta Prædicamenta; non nisi paucissimis Substantijs applicari possunt. Nam paucissimæ una ad aliam Referuntur, paucissimæ habent aliquem Situm, multò verò pauciores Habitum; ideoq; è Scholis Philosophorum meritò explodenda. Et Relationes quidem, uti jam diximus, Causidicis, Sitûs autem & Habitus, Pictoribus atq; Poetis concedamus. Siquidem ne Historici quidem, qui hominum liberas actiones, quales sunt Situs, atq; Habitus, nisi rarissimè, quo quispiam nēpe aliquando corporis Situ, quovè Habitu fuerit, narrare solent. Hæc enim momentanea, varia, àc levia sunt, & non pertinent ad Naturam Hominum describendam, sed etiamsi essent necessaria, sub Prædicamento Qualitatis commodè contineri possent. Eyectis hoc modo è numero Prædicamentorum Substantia, Relatione, Situ, & Habitu, repositisq; in eorum locum, quatuor Rerum Causis; ac duplicato Prędicamento Qualitatis, reliqua Prædicamenta antiqua, suis locis relinquimus, quibus invenimus, quia Definitioni eorum, à nobis in principio positæ, sunt conformia.

Quòd verò omnia Prædicamenta, in unam Definitionem, præter aliorum morem contulerimus; id nec sine ratione, nec sine auctoritate aliorum factum est. Nàm & Definitio non agit aliud, quàm ut sui Subyecti naturam Describat; & Prędicamenta àd aliud non deserviunt, quàm ut qualiter sit affectum Subyectum indicent. Meritò igitur pro membris Definitionis habenda sunt; alioquin in qua alia parte Logicæ continebuntur? Sed & Aristoteles ipse, libro primo de Anima asserit, quod Accidentia magnum momentum afferāt, àd cognoscendum (ut

ipse loquitur) Quod quid est, nos Definitionem intelligimus. Et Cicero in suis Partitionibus, Definitionem Genere quidē declarari dicit, at & Proprietate quadam, & communium frequentia, ex quibus proprium quid sit eluceat: hæc autem omnia sunt in Prædicamentis.

Sed nō possum satis mirari de Peripateticis, qui ab vna quidem parte, perfectas Definitiones ex quatuor Rerum Causis compingi concedunt; ab altera verò obliti horum, ex solis Genere & Differentia essentiali, eas constare mordicus tenent. Ipsi eis per nos pro suo libitu utantur; Vellem tantummodo, ut omnium rerum, quas Definire volunt, eyusmodi Essentiales Differentias de quibus somniant, prius inveniant; tunc demùm viderint, quam scientiam Auditores eorum, ex tam mutilis & concisis Definitionibus haurient. Neq; hic nobis illam perpetuò ab eis decantatam Hominis definitionem obtrudant, sed alias similes, cum suis essentialibus Differentijs si possunt effingant. Vel, quià occultas & ignotas sibi esse fatentur; expectent quoad rediens ab inferis Aristoteles, cuyus se in hiis præcepta servare dicunt, eas patefaciat, interim nihil Definiant, nihil de Rerum Naturis disserant.

Nos autem nihil morantes, nostra plena, & ex omnibus Prædicamentis (in quibus Elementa, Principia, Causæ, Passiones, ut ipsi nuncupant, & si quæ alia de quavis Re scitu necessaria sunt, omnia Prædicata continentur) coacervata, & coagitata Definitione; aut si istud nobis vocabulum invident, Descriptione seu malint Narratione, in declarandis & enucleandis Rebus, interea utemur. Vt hac ratione ignorantibus ac scientibus satisfiat, quando nihil reliquum fuerit, quòd de eo Subyecto, quod Definiendum susceperimus, meritò quæri, vel sciri possit. Nisi si Partes eyus Subyecti, vel Rationes singularum Assertionum, seu Enunciationum, quæ in Definitione continebuntur; scire quis deinceps cupiat. Verùm hæ Quæstiones, ad alias duas partes Logicæ, hoc est, ad Divisionem & Argumentationem propriè spectant, de quibus posteà suo ordine tractabimus.

DE METAPHISICA.

AT priusqvàm huic negotio finem imponimus; unam adhuc, & forsan non ociosam Quæstionem examinemus: ad qvem in qvam Artificem propriè spectet, considerare Naturam horum Prædicamentorum. Omnes plerumqve concedunt, Prædicamenta esse prima Elementa Logicæ, & quasdam Classes Simplicium dictionum, qvas Terminos incomplexos vocant; ex qvibus omnis generis Enunciationes, & ex iis deinceps cætera instrumenta Logicæ componuntur. Ideoq; peropportunè ab Aristotele, & ab aliis ferè omnibus, qvi ea de arte scripserunt, statim in ipso limine collocantur. Attamen Peripatetici, ea non minus Metaphisici negotii esse volunt, & Logicum qvidem ea considerare, uti sunt Entia Rationis, Metaphisicum verò uti sunt Entia Realia.

Ego verò in primis vellem discere ab eis, an in Rerum natura sit ista Metaphisica, & qvid sit, & quod sit ejus Subjectum. Respondent statim; ipsam non solùm existere, sed esse Arbitram & Reginam omnium reliqvarum Scientiarum, summam Sapientiam, Theologiam: Ista possunt esse speciosa ejus encomia, mihi Definitio esset necessaria, ut sciam naturam ejus. At ego neq; Definitionem, neq; nomen eius, apud antiqvos Philosophos, qvin neqve apud ipsum Aristotelem, usqiam hactenus reperio. Concedent fortè id sed Scientiam ipsam, qvæ nomine Metaphisicæ ab eis denotatur, priscis benè cognitã; ac singillatim à Platone vocabulo Dialecticæ nuncupatam fuisse asseverabunt.

Hac ratione duæ Dialecticę apud antiqvos fuerint: ego præter unicam, tàm apud reliqvos, qvàm apud ipsum Platonem non invenio; & qvidem hanc eandem, qvam nos præ manibus habemus; hoc est; eam qvæ artem Disserendi tradit. Si qvis dubitat, legat ipsum Platonẽ, in primis lib. 15. qvi de Sophista vel Ente inscribitur; sic loqventem: Per Genera dividere, & neqve eandem Speciem alteram putare, neq; alteram rursus eandem esse; nonne Dialecticæ officium esse dicemus? Deinde lib. 23. qvi

Crati-

Cratilus dicitur, sic: Eum verò, qui interrogare scit, & respondere, alium vocas quàm Dialecticum? HER. Dialecticum profectò. Hactenus Plato, qui satis clarè quod sit munus, suæ & reliquorum Philosophorum Dialecticæ ostendit: Et hanc Dialecticam, pro tertia parte totius Philosophię posuerunt, quàm rectè ipsi viderint.

Verùm ut manifestè ostendam, quod nec in reliquis Philosophiæ partibus ullum locum habeat, hęc eorum Metaphisica, duos tantùm, sed graves auctores adducam, unum Latinum, alterum Græcum. Primus est M. T. Cicero, qui libro quinto de Finibus bonorum, & malorum, sic ait: Quantus ornatus in Peripateticorũ disciplina sit, satis est à me, ut brevissimè potui, paulò antè dictum. Sed est forma eius disciplinę, sicut ferè cęterarum, triplex: Vna pars est Naturæ, Disserendi altera, Vivendi tertia, &c. In Academicis quęstionibus lib. primo post proemium: Fuit ergo iam accepta à Platone philosophandi ratio triplex: Vna de Vita & Moribus, altera de Natura & rebus occultis; tertia de Disserendo, & quid verum quid falsum, quid rectum in Oratione pravumve, quid conveniens, quid repugnans iudicandi. In Disp. Tusc. lib. quinto. Ex quo triplex ille animi fœtus existit: Vnus in cognitione Rerum positus, & in explicatione Naturæ; alter in descriptione expetendarum fugiendarumque rerum; tertius in iudicando, quid cuique rei sit consequens, quid repugnans, in quo inest omnis tum subtilitas disserendi, tum veritas iudicandi.

Veniat nunc in medium Eusebius Cæsariensis, qui libro undecimo, de Præparatione Evangelica, statim cap. primo, quæ fuerint olim partes Philosophiæ, ex sententia, non solùm omnium reliquorum Philosophorum, sed & ipsius Aristotelis, pluribus describit; ego hic pauca tantùm verba Aristotelis apponam: Plato primus rectè intellexit, atque divisit Philosophiam, dixitque primum esse de Natura universi negotium; alterum de Moribus; tertium de Oratione, &c. Qui vult plura scire de iis, legat Laertium & ipsum Eusebium. Vbi est hic vel Nomen vel Subiectum huius Metaphisicæ?

At

At videamus quaso, quale ipsi ei attribuant Subyectum. Yam hic sibi non constant; sed in varias sententias scinduntur. Alii enim Ens quatenus Ens, hoc est, omnia Entia Realia; alii solas Substantias absque Accidentibus, alii ipsas Intelligentias, pro totali & adaquato eyus Subyecto statuunt; alii verò magis aut minus, hoc Subyectum vel dilatant vel coarctant, uti videre est apud Soarez, & alios multos. Et licet inter se dissideant, quique tamen Aristotelem sua opinionis auctorem esse volunt. Hic obiter libet considerare, qualesnam sint isti Metaphisici, quibus statim in ipso vestibulo, non conuenit de Subyecto huyus Scientia: hoc est, nesciunt de qua rè illis sit agendum. Quàm perspicaces ac concordes quesò erunt, in tradendis Principiis, Partibus, ac Passionibus eyusdem Subyecti? Nam cum Subyecta omnium Scientiarum & Artium, obvia & manifesta debeant esse passim omnibus: totum negotium in eo vertitur, ut inveniantur eorum Principia Partes & Passiones: ea enim sunt qua perficiunt omnem Scientiam. Sed nec magis acuti mihi videntur ii, qui istos tam diversa sentientes, conciliare satagunt. Sicut & illi qui Aristotelem cum Platone, Scotum cum D.Thoma, in gratia reducere volunt, cum ipsimet se diversa, seu contraria sentire, nec reconciliari velle cum eorum antagonistis profiteantur.

Nos reliquarum opinionum auctores pratereuntes, cum primis tribus congredimur. Et primùm quidem cum iis, qui Ens quatenus Ens, pro adaquato Subyecto Metaphisica collocant. Hii adducunt pro se Aristotelem, Metaphisicorum lib.4 text. 1. sic loquentem: Est Scientia quadam, qua speculatur Ens prout Ens est, & qua ei per se insunt: Hac autem nulla earum, qua in parte dicuntur, eadem est: Nulla namque cæterarum universaliter, de Ente prout Ens est considerat, sed eyus aliquam partem abscindentes, quod ei accidit speculantur, ut Mathematica scientia, &c. Hactenus Aristoteles Per hanc Scientiam, qua speculatur Ens prout Ens est, proculdubio suam Metaphisicam intelligit, & per Ens omnia Entia, qua in decem Pradicamenta Realia dividit. Ego verò primum quaro ab

eis,

eis, qva ratione, eadem nomine ac numero Prędicamenta, sint eis simul & Elementa Logicę, & Subyecta huyus supremę Scientię? Sint inqvam Entia Rationis & Entia Realia? Sint Instrumenta Rerum & Res ipsę? hoc est sint in Rerum natura, & non sint? Notum enim est Entia Rationis, non esse in Rebus, sed ab Intellectu confingi. At qvid respondebunt, si nos dixerimus, eyusdem omnino naturæ esse Prędicamenta, qvę in suis libris Metaphisicis describit Aristoteles, cum iis qvę in suo Organo habentur; nisi qvod ibi fusius, hic strictius de iis agat? Vis hoc manu tangere? Vide utrobiqve Definitiones, seu Considerationes eorum, eisdem ferè verbis conceptas; si ipsi diversas proferent, tunc manus dabimus.

Sed prius doceant, qvid faciunt in illis libris Metaphisicis, longi illi tractatus de Definitionibus, Divisionibus, Syllogismis, Generibus, Speciebus, & aliis sexcentis Vocabulis, seu Terminis Logicis, imò etiam Grammaticis, quibus omnes illi ferè libri scatent, sigillatim autem Sextus nil aliud continet? Num & ista dicent esse Entia Realia, & eorum tractationem ad Metaphisicum, hoc est summè Sapientem ac Divinum Philosophum spectare? Video occurrent, & excusabunt Philosophum; fatebuntur ea esse Entia Rationis, at dicent esse apprimè necessaria, ad investigandas Entium Realium naturas: ideoqve eo loco illa exactius discuti, qvàm fieri soleat apud Logicos. Ego vicissim dico, absurdum qvidam esse, diversitas Scientias seu Artes in unum commiscere; at multò adhuc absurdius Modum sciendi, cum ipsa Scientia confundere, uti idem Aristoteles Metaph. lib. 2. tex. 16. fatetur, & tamen hoc ipsemet in eis libris eorum confessione facit. Nam sicuti ridiculum esset, si Orator in medio cursu suę Orationis, de præceptis Rethoricæ loqui vellet; ita non minus ridiculum est Philosophum, qvum de Rerum natura agit, velle Logica Instrumenta enucleare.

Iam dicant nobis, qva Methodo, in Enumeratione horum Entium, dividentes ea in decem Prædicamēta, commiscent Acciden-

tia suis Substantiis? Qvid dicerent, si qvis Grammaticus octo partibus Orationis, Accidentia earum partium annumeraret? At hoc ipsi faciunt, nam Accidentia Rerum, Rebus ipsis id est Substantiis coeqvant, & utraqve sub Ente collocant. Et qvod aeqvè preter artem fit, Substantias omnes in unum Predicamentum coarctant; ex Accidentibus autem novem Classes Predicatorum conficiunt.

At fortè non inveniunt commodiorem Entium Realium Enumerationem, qvàm per Predicamenta Logicorum? Relinqvant qvaeso illa Logicis; nam postqvam incidimus in memoriam Instrumentorum Grammaticorum, ego eis magis apta inveni. Mutuentur ab eis, ipsas octo partes Orationis: he enim sunt multò foecundiores, qvàm sunt ipsorum decem Pradicamenta: Invenient in eis, non solùm ea omnia, qvae in Rerum Natura existunt, verum etiam ea qve in vacuo feruntur. Itanè sunt inopes Materie, circa qvàm occupentur, ut cum Logici eis offerant Instrumenta, qvorum adminiculo Rerum naturam cognoscere, & aliis tradere possint; ipsi illa eadem Instrumenta, pro Rebus ipsis cognoscendis arripiant; & sic acta agant?

Patiantur velim, ut Logici meditentur qvid significent in abstracto seù in genere, Substantiae, Accidentia, Materie, Forme; Qvalitates, Qvantitates, Actiones, Passiones, & alii similes Termini Scholastici; Abstractiones enim à Rebus, qve etiam secunde Intentiones vocantur, fiunt per operationem intellectus; he autem operationes (uti apud omnes in confesso est) sunt proprie Logicorum. Ipsi verò Philosophi, proponant sibi Res ipsas, hoc est Substantias, de qvarum Natura agant, & doceant qve sint earum Reales, & peculiares Materiae, Forma, Qvalitates; Qvantitates, Actiones, Passiones, & reliqva Attributa: & ex Ratione fabrefactis Predicamentis Logicorum, tanqvam ex qvibusdam Locis communibus seù promptuariis, Realia Predicata sibi assumant, & sic Scientiam Rerum tradant.

Porrò si ulterius qverant à me, qvae sint illa Entia, seù Res de qvibus Philosophis existimem esse agendum: Dicam esse ipsas Substantias, uti Aristoteles dixit, hoc est in primis Deũ Optimum

Maxi-

Maximum, deinde Angelos, hinc Animas, postea Cœlos, inde Elementa; demum cetera quæ ex eis composita sunt, ipsi ea mista vocant. Quæ si secundum Prædicamenta Logicorum examinaverint; tunc rectè se suo officio perfunctos, et Scientiam quæ de iis haberi potest, tradidisse videbunt. Hæc in arbore Substantiæ, cum de Divisione loquemur, breviter notabimus.

Et ut Yuniores melius intelligant, quæ sit differētia inter Logicam & Philosophiam, sciant Logicam eum respectum habere ad Philosophiam, quem habent illi libri Ecclesiastici, qui de Ritibus & Cæremoniis agunt, ad Divina officia, quæ in Ecclesia celebrantur. In Ritualibus siquidem & Rubricis ostenditur, quid sint Festa, quid Feriæ, quid Vigiliæ, quid Octavæ, quid Horæ, quid Himni, quid Antiphonæ, quid Psalmi, quid Cantica, quid Lectiones, quid Orationes, &c. Item docetur, quo tempore, quo loco, quo modo, quo numero, sit eis utendum. In ipso autem actu Divinorum officiorum; non nominantur, neque declarantur, sed in usum & praxim rediguntur.

Cæterum cum omnis perfecta Scientia, suum in primis proprium Subyectum habeat, cuyus postea Principia, Partes, & Passiones demonstrare, quæ de ipso Subyecto prędicantur oporteat, uti Aristoteles dicit 1. Post. text. 179. nosque yam præmisimus; Ipsi verò omnia Entia in unum Subyectum suę Metaphisicæ ponant; quæro unde assument Prędicata, hoc est Principia, Partes, & Passiones, omnium Entium; cum necessariò diversa esse debeant ab ipsis Entibus, id est à suo Subyecto. Ego præter ipsa Entia non video alia superesse, nisi non Entia, id est omninò nihil. Quam igitur Scientiam nobis tradent, omnium simul Entium, cum nihil sit, quod de eis prędicetur?

Sed recordor invenisse eos quædam Attributa Entium, quę neque ipse Aristoteles, neque eyus Commentatores Græci viderant, uti Picus testatur conclus. 13. & Transcendentia, indigetarūt, Verùm hic iterum in alias difficultates incidunt; nam primò lis est inter ipsos de significatione eorum, secundò de numero, tertiò dubitant an eadem sint cum reliquis Entibus, id est cum suo Subyecto, an verò diversa. At utut sit, quęrò quam perfectam

Scientiam omnium Entium poterunt nobis tradere, sivè tria, sivè plura fuerint ista Attributa Transcendentalia, quando ea suo Subyecto applicaverint; ita ut nos Scientificos, Sapientes, Philosophos, & Theologos (si Diis placet) faciant, uti promittunt. Siquidem quando nos docuerint, omne Ens esse Unum, Verum Bonum, &c. quàm Docti quæso, quam Sapientes inde evademus?

Est alia Secta eorum, qui solas Substantias, pro totali Subyecto istius Metaphisicæ, Accidentia autem pro earum Passionibus statuunt: & quum Aristotelem absolutè de Ente loqui audiunt, solam Substantiam intelligunt. Ita Picus conclus. 78. ex eorum sententia dicit, Accidentia nullo modo debere dici Entia, sed Entis. Ita Boetius in Porph. cap. 49 Ens non prædicari de Substantia, essentialiter vel accidẽtaliter, sed ut idem cum Substantia. Ita Aphrod. Metaph 1. com 78. cap 39. per Entia Aristotelem solas Substantias intelligere; easque pro adęquato Subyecto Metaphisicę ponere. Ita & nos, ex pluribus locis Aristotelem sensisse colligimus; Nam Metaphisicorum lib 7. text 4. sic loquitur: Quare quod primo Ens est, & non aliquod Ens, sed simpliciter Ens Substantia. Item Metaph 7. text 5. Sola Substantia simpliciter Ens est, quapropter nobis maximè, & primùm, & solùm, ut ità dicam, de Ente hoc pacto quid nam sit, speculandum est. Item Metaph 8. text 1. Dictum est, quod Substantiarum Causę, Principia, & Elementa quæruntur. Item Metaph. lib 12. tex 1. Speculatio de Substantia est, siquidem Substantiarum Principia & Causa quæruntur, &c.

Rationabilius mihi isti loqui videntur: At hoc quoque multum est, velle inquam omnes Substantias, in unum chaos confundere, ac ex omnibus iis, unum Subyectum unius Scientiæ efficere. Quia cum in primis Spirituales Substantiæ à Corporeis, toto cælo differant; præterea utræque in varia ac multiplicia genera distinguantur, ac proinde longè diversas Affectiones, ac differentia Attributa habeant; nescio qua ratione in unam omnès Scientiam coagmentari possint. Alia quippè Scientia est, quæ de Deo Opt. Max. cæterisque rebus Spiritualibus agit, &

Theolo

Theologia vocatur: alia verò quæ de Cælo & Terra, ac reliquis Elemẽtis tractat; aliæ præterea particulares Scientiæ sunt, quæ sicuti propria Subyecta, ita quoque propria Principia, ac peculiares Passiones habent. Ideoquè, sicuti à principio diximus, non posse ex omnibus, pro uno Subyecto simul assumtis Entibus, aliquam solidam Scientiam constitui; ita nunc dicimus, neque de solis quidem Substantiis id fieri posse. Alioquin quid opus esset aliis Scientiis, si sola Metaphisica id præstaret? Illud verò facilè ac libenter concesserimus, totam Philosophiam, lato modo sumtam, de omnibus Substantiis, per partes agere; ac uti Aristoteles ait Metaph. 4. text. 4. tot esse partes Philosophię, quot sunt ipsius Substantiæ.

Restat tertium genus Peripateticorum, qui negant id quod priores asseverant; sed ayunt hanc Metaphisicam esse merè Divinam Scientiam, hoc est Theologiam, ideoque pro totali Subyecto suo, solas Substantias separatas, seù Intelligentias habere. Et hii quoque Aristotelis auctoritati innituntur, sic enim loquitur Metaph. lib. 6. tex. 3. Si igitur non fuerit aliqua alia, à Substantiis existentibus Natura; tunc prima Scientia est Naturalis: Et si aliqua Substantia immobilis fuerit, illa erit primùm, & Scientia eyus erit prima Philosophia, universalis etiam. &c. Huyus & aliorum similium dictorum Aristotelis fulti patrocinio, contendunt isti Metaphisicam eyus, pro adęquato Subyecto habere ipsas Intelligentias. Et benè (meo yudicio) interpratantur hanc Aristotelis sententiam. apertè siquidem dicit, si non sint Intelligentiæ, nullam aliam fore primam Philosophiam, pręter Phisicam Scientiam, & sic haud obscurè infert, Subyectum Metaphisicę suæ esse Intelligentias.

Tam quæro, quota pars illorum quatuordecim librorum, agit de Intelligentiis? Profecto minima; nam in fine tantùm paucis paragraphis, totam earum quam habuit effudit Scientiam. At (ne quæram nunc veritatem suarum assertionum) quàm solidis quæso & epistemonicis argumentis, astruit hanc quam pluribus passim locis usque ad cælos extollit, veram Sapientiam & perfectissimam Scientiam? Quando enim unquam magis op-

portunè, illis suis tanto impendio elaboratis Demonstrationibus uti poterat? quandoquidem ex perfectis Demonstrationibus, perfectę Scientię, suo ipsius decreto informantur. Vis dicam ego? Quorundam certè veterum Philosophorum somniis, item de medio foro petitis Vulgi opinionibus, denium suis non satis concoctis, & uti Soarez ait frivolis conjecturis. Quod nec ipsemet diffitetur, cum 12. Metaph. 8. sic dicat: Ità rationabiliter arbitrandum est, quod enim necessarium est, relinquatur potentioribus dicendum.

Sed si erat ei animus de Rebus Divinis, utpotè altißimis, in his libris differere; quid agunt ibi Ens quatenus Ens, quid Prędicamenta, quid Genera quid Species, quid denique alia eyusmodi innumera, quę non solum nihil Divini redolent, sed neque Entia Realia sint, uti yam diximus. Et quidem prius in libris Logicis, deinde in Phisicis tractata, nunc verò tertiò usque ad nausęam repetita; atque ita perplexa, ut nullus eyus Explanator, ea hactenus in ordinem certum redigere potuerit; vix duo autem sint uel tres, qui in eādem sententiam consentiant? Quid habent peto commune Intelligentię & res Divinæ, cum Generibus & Speciebus, ut in unam et eandem Scientiam concludi possint? Vidit hanc disparium Subyectorum pluralitatem, in ista Aristotelis Metaphisica, Moses Aegiptius, uti habetur apud Picum conclus. 3. Vidit & Pererius, uti notavit in sua Phisica lib. 1. cap. 7.

Quid si non sint Intelligentiæ, & sic per consequens nulla Metaphisica, sed Naturalis Scientia primùm locum in Philosophia obtineret, uti ipsemet censet: quid fiet rogo de Entibus in genere, quid de Prædicamentis, & eorum affectis? Nunquid nulla dè eis Disciplina aget? At qua? Certè phisica ea non recipiet, neque pro suis, hoc est, pro Naturalibus recognoscet. Sed cum neque supernaturalia sint; repellet ea profectò a se Theologia. Restat igitur ut sola Dialectica, suos profugos postlimino in gratiam recipiat, & in suum ordinem redigat.

Itaque cum nullā eyusmodi Scientiā dari posse, quę solidè de omnibus Entibus simul comprahensis, vel (ut ipsi loquuntur)

abstractis, sed nec talem, quæ de omnibus Substantiis corporeis agat, de Intelligentiis autem satis frigidè hac Metaphisica tractet: quin etiam ex contrarijs sententiis contexta, & tam obscuris tenebris obruta sit, ut nec Dædalus quispiam eyus methodum reperire possit; excutiamus ex mentibus nostris hanc malè conceptam, ut quæ nusquam est Chimeram. Ac Prædicamenta quidē cū Definitionibus, Syllogismis, & reliquis huyusmodi Instrumentis, restituamus Logicis: Substantias verò dividentes in Spirituales & Corporeas, illas quidem Theologis, has Philosophis, quos ipsi Phisicos vocant; adminiculò horū Logicorum Instrumentorum examinandas, & cognoscendas restituamus.

Pro colophone subyungam hic duorum classicorum auctorum dicta, ut quisque videat, quid de hoc Ente, & de hac Metaphisica senserint. Vnus eorum est Picus ille Mirandulanus, qui in eo libro, quem de Ente & Vno scripsit, post longam concertationem, tandem obyectione tertia Faventino suo ita respondet: Nō sum oblitus compater, ne dubita prorsus, omnium meminisse cognosces; quanquàm haud magna yactura fiat, si excidant quæ coràm tractavimus; Levissima enim hæc omnia, quibus & te occupatum, & me non ociosum hominem occupas. Alter est Dominicus de Soto, is in præfatione libri sui de Natura & Libero arbitrio, sic ait: Theologia scholastica à sophismatum nugis, & à Metaphisicorum vanis portentis repurganda est.

II. DE DIVISIONIBVS.

Divisio est Oratio, qva Subyectum in sua membra ratione secatūr. *Vel*: Est Partitio Orationis, in sua competentia membra, quæ nempè Rebus ipsis respondeant.

Divisionis Sinonima: *Methodus, Distinctio, Distributio, Dispositio, Differentia, Dispensatio, Discretio, Separatio, Enumeratio, Partitio, Ordinatio, Resolutio, Compositio, Compilatio, &c.*

Divisiones principes, sunt duæ; una est Totius in suas Partes, altera est Generis in suas Species.

Hæ duæ Divisiones, sunt sibi nimium affines, quid enim aliud est Genus, quàm quoddam Totum suarum Specierum?

Ip

Est Divisio qvæ Res diversas & dispares distingvit ac separat, & in diversas Classes suis locis reponit, ut Eqvum inter Substantias, Aeqvum autem inter Qvalitates. Sunt alia qvoqve Divisionum Species, ut Substantiarum in sibi Accidentia, vel Accidentium in suas Substantias, sive Subyectorum in varia Prædicata, & Prædicatorum in varia Subyecta, &c. At hæ Divisiones non sunt solidæ nec essentiales.

Totum & Partes qvid sint, nemo est qvi ignoret, ideo ea non definimus. Qvottuplex autem sit ipsum Totum & Partes, ex alijs Authoribus poteris accipere.

Genus est Terminus universalis, qvi de pluribus alijs Terminis universalibns, qvos in se continet, in recto casu prædicatur, Materia qvadam inter se connexos, Forma autem differentes, & hij dicuntur Species. Itaq; Species erunt Termini universales, continentes in se multos terminos similes. Singulares, & hoc de Speciebus specialissimis intelligendum est: Nam sunt Species subalternæ, qvæ respectu inferiorum sunt Genera. Exempli gratia: Genus est Animal, Species autem eyus erunt, Bos, Eqvus, & alia huyusmodi: Item Genus erit Color, Species autem Albedo, Nigredo, & hijs similia.

Exempla Divisionis Totius in suas Partes.

Homines constant ex Animis & Corporibus.
Mundus constat ex Cęlis & Elementis.

Exemplum Divisionis Generis in suas Species.

Arbornm aliæ sunt fructiferæ; vt: Pirus, Pomus, & multa aliæ. Aliæ verò steriles, uti sunt Tilia, Populus, Alnus, & similes.

Exemplum Divisionis Speciei in sua Singularia.

Magni Viri fuere Socrates & Plato.
Insignes Vrbes sunt Roma & Venetiæ.

ALIA DIVISIO GENERIS IN SVAS Species, qvæ dicitur Arbor Substantiæ:

- Substantiæ
  - Corpora
    - Cœli
    - Elementa
      - Mixta
        - Sensata
          - Rationale, Bruta, Plantæ, Metalla, &c.
            - Terrea
              - Boves.
              - Oves.
              - Cameli, &c.
            - Aquea
              - Ballenæ.
              - Cæte.
              - Delphini, &c.
            - Aerea.
              - Aqvilæ
              - Passeres
              - Gallinæ &c.
        - Sine sensu
      - Simplicia
  - Spiritus
    - Angeli
      - Boni,
        - Tres Hierarchiæ
          - Prima,
            - Throni.
            - Cherubim.
            - Seraphim.
          - Secunda,
            - Virtutes.
            - Potestates.
            - Dominationes.
          - Tertia,
            - Angeli.
            - Archangeli.
            - Principatus.
      - Mali,
    - Animæ

Hoc Theologiæ Subyectum est. Hoc verò Phisiologiæ.



Hac

Hac Divisione aliter atq; aliter utuntur Artifices. Medicorum enim alij, qvum suæ Artis præcepta tradunt, sermonem suum secundum partes Corporis humani, affectionesqve earum disponunt: alij Herbas aliaqvè simplicia, eorumqve vires recensent; alii genera Morborum, & eorum remedia enumerant; & diversis viis incedendo, omnes ad eundem finem, qvi est Corporum sanitas tendunt. Sic inter Historicos, alius qvidem alicuyus Reipublicæ statum, per temporum seriem enarrat; alius autem vitas Principum eyusdem Reipublicæ describit; et uterqve idem præstat. Simili ratione Oratores, si aliqvem Virum præclarum pro concione laudare velint; iste qvidem à primis eyus incunabulis incipiens, qvidqvid in vita dignum laude egit, usqve ad exitum eyus, ordine recensendo proseqvitur: Ille verò non observata temporum serie, per diversas virtutum, qvibus vir ille claruit, species gradiendo, idem omnino munus præstabit.

Multi alii modi sunt disponendi sermonem; in hoc tantùm elaborandum est, ut eum qvisqve ordinem sibi aßummat, qvi suo proposito Subyecto sit aptißimus, ut id qvod docet sit apertū, atqve concinnum. Nihil superflui apponat, nihil qvod est necessarium ommittat: non postponat qvòd præponendum sit, neqve præponat ea, qvæ posteriori loco dicenda erunt; Ea autem qvæ se iam dixiße meminit, non iteret, uti à principio admonuimus, nisi molestus ridiculusqvè eße velit.

Divisionis Loca seù Qvæstiones sunt duæ, Nam qvatenus Subyectum, de qvo agimus, est qviddam Totum, apposìtæ qværimus, qvæ sint suæ Partes: qvatenus autem est Genus, statim circumspicimus, qvæ sint suæ Species. Qvas Partes & Species singulas postea definimus: Definitas, si opus sit, subdividimus, & sic omnes Rei propositæ fibras perscrutamur.

LEGES BONAE DIVISIONIS.

Prima Lex Divisionis.

Divisio neqve sit mutila, neq; redundans, id est, neq; plura, neqve pauciora Membra habeat, qvàm re ac ratione demonstrari possit. Vt hoc autem rectè facias; habe oculum ad cognata, opposita, seù subyecta illius Subyecti, qvod Dividis; tot .n. erunt ista, qvot illa fuerint.

Sec-

Secunda Lex Divisionis.

Cave ne unum Membrum, seu Totum, seu Pars ejus, in alio Membro contineatur; sed sint omnino discreta, opposita, & non tantùm accidentaliter, sed essentialiter differentia: eodem tamen Genere & Gradu conveniant, & sibi invicem cognata & similia sint.

Tertia Lex Divisionis.

Fiat Divisio primum in majores, æquales, proximas, & non longinquas Partes seu Species sui subjecti; deinde ne sit nimia, hoc est in minutas Partes concisa; confundit enim memoriam.

Quarta Lex Divisionis.

In enumeratione Membrorum, servetur Ordo, Rebus de quibus agitur conveniens, id est, temporis, loci, aut dignitatis.

Contra has Leges faciunt ii, qui quinque Prædicabilia. Item qui plura Capitalium Vitiorũ, quam Capitalium Virtutum genera numerant. Et ii quoque, qui nimis pueriliter ea quæ in libris suis tractant, per Alphabetum, omni alia Divisione destituti, digerunt.

Nam quo ad Prædicabilia, credo non ostendent, hanc eorum Divisionem seu Enumerationem, vel ab Aristotele vel à Porphirio, hoc numero tanquam certo conclusam, & determinatam fuisse: Sed invenient tantum, Porphirium has quinque voces, inter cæteros Terminos aliquatenus obscuras, attamen apprimè necessarias, Chrisaorio discipulo declarare voluisse. Alioquin si certa ac perfecta Methodo sibi utendum esse proposuisset; ubi Genus & Speciem, ibidem Totum & Partes; ubi Accidens, ibi & Substantiam memorare debuisset. Sunt enim hæc omnia ejusdem Generis, hoc est, universalia, & plura quàm quinque, & sunt sibi invicem Opposita, quorum eadem debet esse disciplina. Præterea non benè distinguitur Accidens à Genere vel Specie: nam omne Accidens universale, necessariò est vel Genus vel Species.

III. DE ARGVMENTATIONIBVS.

Argumentatio est Oratio, qva qvæpiam Enunciatio, in Definitione vel Divisione alicuyus Subyecti posita, & in dubium vocata, vera vel falsa esse, aliqva ratione data, infertur.

Hoc est, ex iis qva Auditori nota sunt, Doctor ignota demonstrat; & ex concessis ab Auditore, non concessa evincit: ex certis incerta certa facit; & Prædicationem de qva iste dubitat vel contendit, ei Subyecto de qvo agitur, convenire aut non convenire, aliqva illatione ostendit. Vel ex adverso, Auditor loqventem, qvapiam ratione assumpta, falsa dixisse convincit.

Argumentationis Locus generalis, seù Qvæstio unica est; Eam possumus nominare; Qvare aut Qvia, seù alijs hijs similibus vocabulis: Nam si auditor dubitet de aliqva Enunciatione, qvæ in Definitione aut Divisione posita est: qværit causam Qvare, seù Propter qvid ita sit, id est cur Prædicatum illud, ei Subyecto, inhærere seu non hærere dicatur: Doctor ut id adstruat, & se verum dixisse fidem faciat, Argumentando per Qvia respondet, & sic dictorum rationem reddit

In Argumentationibus consideratur Materia, & Forma earum Itaqve qvoad Materiam tres Species habent.

Prima Materia Argumentorum.

1. Alia enim sunt Argumenta Necessaria, qvæ Demonstrativa dicuntur. Accipiuntur autem ex Locis essentialibus, & necessarijs. A Theologis qvidem ex Verbo Dei, & Ecclesiæ sanctionibus: a Philosophis autem ab Sensuum experientia, & Principijs Naturalibus. Ea sola in Intellectu Auditorum, qvia vera sūt, generant scientiam, Certitudinem, & Fidem sibi vendicant.

Secunda Materia Argumentorum.

2. Alia Argumenta sunt Verisimilia, & appellantur Dialectica. Assumuntur ex ijs Locis, qvæ ut plurimum ita se habere, hominibus videntur. Huyusmodi Argumenta pariunt in mentibus eorum, Opinionem, & Dubitationem & Incertitudinem. His plerumqve utuntur Oratores, ad persvadendum suis qvod volunt Auditoribus: utuntur etiam Theologi & Philosophi, qvando conyectura tantùm nituntur, nullamqve certam Demonstrationem eorum, de qvibus agunt, facere possunt.

Tertia Materia Argumentorum.

3. Alia demum sunt Argumenta Fallatia, seù Captiosa, qvæ &

Sophiſtica dicuntur. Conflantur ex mala Vocum ac Sententiarum (non Rerum uti alij loqvuntur, nam in Rebus nulla invenitur Fallatia) Interpretatione, Diviſione, aut Cōpoſitione. Ea qvia ſunt mendatia, generant Errorem, Falſitatem, Ignorātiam. Hijs utuntur ſcioli ſophiſtæ & ſuperbi hæretici, ad capiendas animas imprudentiū, &c.

1. Loca Argumentorum Demonſtratiuorum.

A Toto ad Partes, & à Partibus ad Totum: à Genere ad Species, & à Speciebus ad Genus: à Cauſis ad Effectus, & ab Effectibus ad Cauſas: à Contrarijs; à Proprijs; ab Impoſſibilibus: ab Auctoritate Divina, & Eccleſiæ, &c.

Hanc noſtram Demonſtrationem, non coarctamus legibus Ariſtotelis, qvas longo ambitu deſcribit in ſuis Poſterioribus. Ea enim ratione, vix aliqvas Demonſtrationes, qvemadmodum & Definitiones qvas nimium reſtringit, haberemus, niſi forte in Republica Platonis. Nobis omne Argumentum, qvod aliqvam neceſſitatem concludendi habet, Demonſtratio eſt; neqve loca Artificioſa à Naturalibus ſeparamus.

2. Loca Argumentorum Dialecticorum.

Ab Antecedentibus, & Conſeqventibus; à Similibus, & Diſſimilibus: à Paribus, & Imparibus; à Coniunctis, & Oppoſitis; à Maioribus, & Minoribus, ab Auctoritate humana, &c.

Ex ſingulis his Locis generalibus, profluunt plura Axiomata, id eſt Dignitates; nos eas Argumentorum Leges nominabimus; & qvia plurima ſunt, brevitatis cauſa, aliunde petendas relinqvimus.

3. Loca Argumentorum Sophiſticorum.

Alia ſunt in Dictione ſeù Termino; alia in Oratione ſeù Enunciatione.

In Dictione qvidem, ſex ſolent eſſe Fallaciæ, ſeù Loca Captionum, 1 Aeqvivocatio, 2 Ambigvitas, 3 Compoſitio, 4 Diviſio, 5 Accentus, 6. Figura Dictionis.

In Enuntiatione autem ſeù Sententia, ſeptem. 1 Fallatia Accidentis, 2 Eyus qvod ſimpliciter dicitur, ad id qvod ſecundum qvid, 3 Ignoratio Elenchi, 4 Conſeqventis, 5 Petitio Principij, 6 Nō Cauſa ut Cauſæ, 7 Plurium Interrogationum ut unius.

F 2 Con-

Omnia Argumenta Fallatia, ex his Locis, seù qvibusdam cænosis fontibus scaturiunt: ea recta Interpretatione, & Distinctione Verborum ac Sententiarum (qvæ sunt qvędam Species Definitionis & Divisionis) & Signorum Qvantitatis appositione excipiuntur, diluuntur, & eluduntur. Ideo etenim fallunt; quòd alio sensu in priore, alio verò in posteriore Enunciatione ponuntur.

Definitiones, & Exempla omnium hactenus à nobis memoratorum Locorum, apud alios invenies.

Et hęc prima Argumentationum divisio, consideratur secundum Materiam eorum: Altera autem, sumitur à Forma ipsorum, qvæ est qvadruplex: Argumentationum enim alia Forma est Sillogismus, alia Enthimema, alia Inductio, alia Exemplum.

Prima Forma Argumentationis.

Enthimema est Sillogismus imperfectus, id est carens altera Enunciatione.

Secunda Forma Argumentationis.

Inductio, est Forma Argumentationis firmans universalem singularibus sufficienter enumeratis.

Tertia Forma Argumentationis.

Exemplum, est Forma Argumentationis, qva singulare aliqvod, per aliud singulare eyusdem Speciei confirmatur, & est Inductio imperfecta.

Quarta Forma Argumentationis.

Sillogismus autem, est pręcipua & perfectissima Forma Argumētationis, seù Ratiocinationis, qva secūdum certas Figuras, & Modos ritè disposita: ex notis & concessis, ignota seù non concessa, demonstrantur & evincuntur.

Partes Sillogismi simplicis sunt tres; Constat enim ex tribus Enunciationibus; qvarum prior dicitur Mayor, posterior Minor, tertia Cōclusio vocatur.

Hæ tres Enunciationes, uicissim ex tribcs Terminis, sexies sumtis componuntur. Qvorum qvidem Terminorum dvo vocantur Extremi, tertius autem Medius Terminus nuncupatur. Iste Medius Terminus est ipsum Argumentum; is conyungit illos dvos Terminos, qvi dissidere videntur ab invicem. Nam inprimis cum vno eorum, in priori Enunciatione congreditur; deinde in altera Enunciatione cum altero; tandem eis ad invicem ea ratione conciliatis, mittit e[illegible] in tertiam Enunciationem, ipse autem, suo utpotè yam munere [illegible]

fundaus eam non ingreditur. Hoc de Affirmante Sillogismo dicimus: Negativum enim similiter contrarium officium facit: Nam Medius Terminus alteri sese conyungens, ab altera verò dissidens, discordes eos reddit.

Sillogismi habent (uti diximus) suas Affectiones, quæ vocantur Figuræ, & Modi. Figura est certa dispositio Terminorum. Hæ Figuræ sunt Qvatuor: qvater enim hij tres Termini, aliter atque aliter inter se conyungi, seu combinari possunt.

LEGES QVATVOR FIGVRARVM Sillogismorum.

Prima Figura Sillogismi.

In prima Figura, Medius Terminus alteri extremorum Terminorum, in mayori Enunciatione subyicitur, & de altero in minori prædicatur.

Secunda Figura Sillogismi.

In Secunda Figura, Medius Terminus de utroqve extremo Termino prædicatur.

Tertia Figura Sillogismi.

In Tertia Figura Medius Terminus utriqve extremo Termino subyicitur.

Qvarta Figura sillogismi.

In Qvarta Figura, Medius Terminus de uno qvidem Extremo Termino, in Mayori prædicatur, & in Minori alteri subyicitur.

Modus, est certa dispositio trium Enunciationem in Sillogismo, secundum Qvalitatem & Qvantitatem earum.

Modi igitur Sillogismorum, sunt duplices, secundum duas Speties Enunciationum: Nam uno qvidem Modo, ut à principio diximus, omnis Enunciatio, aut Affirmat aut Negat: Altero verò Modo, aut est Vniversalis, aut Pluralis, aut Singularis.

LEGES HORVM DVPLICIVM MODORVM.

Primus Modus Sillogismorum.

Ex duabus Enunciationibus Negantibus, nihil concluditur.

Secundus Modus Sillogismorum.

Ex duabus Enunciationibus Singularibus, itidē nihil concluditur.

Tertius Modus Sillogismorum.

Si duarum præmissarum Enunciationum, altera Negans fuerit, necesse est ut Conclusio qvoq; sit Negans.

[illegible] Modus Sillogismorum.

Si duarum præmissarum, altera fuerit Pluralis aut Singularis, Conclusio qvoq; talis erit.

Id est

Idest, semper pars debilior erit assumenda in Conclusione, ut sit bona; aliter formatus Sillogismus non erit validus, & poterit dici Falsus, & Sophisticus secundum Modum, sicut ille qui contra leges trium Figurarum construitur.

Modi utiles & boni, in prima qvidē Figura numerantur novē, in secunda qvatuor, in tertia sex, omnes vnde viginti. Ex hijs soli qvatuor primæ Figuræ sunt recti, reliqvi obliqvi, & ad superiores reducuntur, de illis igitur solis loqvamur.

LEGES QVATVOR MODORVM PRIMAE FIGVRAE.

Primus Modus primę Figuræ.

Est qvum ex utraqve Enunciatione Vniversali, & Affirmante, Conclusio itidem Vniversalis & Affirmans inducitur.

EXEMPLVM.

Omne qvod nutritur vivit,
Omnis Planta nutritur,
Ergo omnis Planta vivit.

Secundus Modus primæ Figuræ.

Est, qvum ex priori Enunciatione Vniversali Negante, & altera Vniversali Affirmante, Conclusio fit Vniversalis Negans.

EXEMPLVM.

Nullum animal carens Pulmone respirat,
Omnes Pisces carent Pulmone,
Ergo nulli Pisces respirant.

Tertias Modus Primæ Figuta.

Est, qvum ex priori Enunciatione Vniversali Ayente, & posteriore plurali Ayente, infertur Conclusio pluralis Ayens.

EXEMPLVM.

Omne volatile habet Alas,
Qvædam Animalia sunt volatilia,
Ergo qvædam Animalia habent Alas.

Qvartus Modus Primę Figuræ.

Est, qvum ex mayore Enunciatione Vniversali Negante, & Minore plurali Affirmante, seqvitur Conclusio pluralis Negans.

EXEMPLVM.

Nullum Animal carens Pulmone respirat,
Qvædam Animalia carent Pulmone,
Igitur qædam Animalia non respirant.

His paucis præceptis totam Logicæ contignationem constare arbitramur.

FINIS.

CONTRA LOGICAM R. D. EPISCOPI CANADIENSIS,

ab amico amicè obſervata,

ARTICVLVS I.

R. D. Archieſcopus.



ON placet Titulus ſeù Inſcriptio., qvia Logica tradit qvædam Inſtrumenta ſeù Inſtrumentum,ad alias Scientias tutè conſeqvendas,ſed ipſa non habet propria Inſtrumenta, qvibus ipſa formetur. Nam Definitio, Diviſio, Argumentatio, ſunt Inſtrumenta rectè tradendi ſcientias pag. 5. non ſunt autem Inſtrumenta, qvibus ipſamet Logica formetur, ſic enim darentur Inſtrumēta Inſtrumentorum, cum proceſſu in infinitum. Et qvis dicet Logicam formari Definitivè, & Diviſivè,& Argumentativè? Docet qvidem benè formare in omni Materia & Sciētia Definitiones,Diviosines, & Argementationes,ſed ipſa ijs Inſtrumentis non formatur.

Epiſcopus.

Qvi vult benè Docere, neceſſe eſt utatur Definitione, Diviſione, & Argumentatione. Qvid mirum igitur, ſi docentes Logicam, iis Inſtrumentis utimur, uti videre eſt? qua enim alia ratione, vel qvibus aliis Inſtrumentis id facere poſſumus? Neqve eſt inconueniens ſi Faber Ferrarius, volens facere Maleum ſeù Incudem, alio ad id Maleo, atqve alia Incude utatur, idqve in infinitum.

AR

ARTICVLVS II.

Archiepiscopus.

Nō placet qvōd I cōsonans, scribatur per Y: est enim contra perpetuum usum linguæ Latinæ, & hoc est plus sapere, qvàm oportet sapere.

Episcopus.

Non est mihi negotium hic cum lingva Latina, sed cum caracteribus Latinis. Et verum est qvod hactenus ferè omnes, uno & eodem caractere designabant, I & V vocales & consonantes. Attamen hunc errorē, præter alios, yam olim Claudius Imperator animadvertit. Ego nullam litteram novam ad hoc efinxi, sed ex eodem Alfabeto latino, accepi pro Consonantibus socias earum Vocalium; neqve tamen qvenqvam meis legibus adstrinxi. Qvod plagium feci, si I & V Consonnantes, qvæ toto cælo differunt à Vocalibus ipso Sono, aliqva Forma distinxi? Hac ratione video in yus vocari non solùm me, sed multos Auctores & Tipographos nostri temporis, Germanos & Gallos, qvi hoc idem observant. Præterea desipuisse dicemus variarū rerum Inventores, qvos antiqvi eam ob rem, usqve ad sidera extullerunt, & consultius esse adhuc glandibus vesci, qvàm pane frumentaceo.

ARTICVLVS III.

Archiepiscopus.

Grammaticus reprehendet illud dictum: Contra me insurgere, &c Qvod deducere satagamus: Singulare cum plurali non concordat.

Episcopus.

Qvod in Prosfatiūcula altera, de me loqvens, nūc singulari, nūc vero plurali numero usus sim, nō miretur D.V. Reverēdiss. nimis enim vito malè feriatus, Grammaticorum ferulæ manum subduxi, adeo ut ne nunc qvidem errorem cognoscam. Sed qvid dicet D.V. Reverēdissima de iis constructionibus? Senecæ: *Qvicqvid patimur mortale genus.* Horatij: *Cum prorepserunt primis animalia terris, mutum & turpe pecus.* Ovidij: *Qvid meruere Boves animal*

animal sine fraude. Eyusdem: *Hunc quoque de Getico, nostri studiose, libellum Littore, præmissis quatuor adde meis.*

ARTICVLVS IV.

Archiepiscopus.

Qvid Logicæ cum Pauone? Verba illa inserta, æqvè benè distribuerentur cum alio Volatili, & cum Qvadrupede. Cur in cauda non nisi decem pennæ? cur in vna ala septem pennæ, in alia sex? Cur Argumentatio, qvæ est præcipuum, & fortasse solùm Instrumentum Scientiarum, extra Pauonem ponitur, id est extrà Logicam, Pauo enim Logicam ibi repræsentat?

Episcopus.

Qværit D.V.R. Qvid Logicę cum Pavone, qvęram ego qvid Logicæ cum Pugno, cui eam Zeno comparavit? Qvadrupedem non accepi pro tipo, qvia nescivi Logicam ei coaptare, sed si Tripedem invenissem, accepissem forsitan, tot enim partes habet nostra Logica. Aliud Volatile, non magis ullum placuit, cum Pavo sit formosissimus, habet enim caudam gemmatam & oculatam, cui nostra Prędicamenta inserui. Et tantùm decem Pennas in ea; in alis autem sex, & septem reliqui, nam tot meo usui sufficiebant, reliqvas pēnas ac plumas aliis Logicis concessi. Deerat membrum cui aptarem Argumentationem, ideo Limbum circumduxi, qvi omnia compingeret. Is licet sit extra Pavonem naturalem, Pavonis tamen mei artificialis unum membrum est. At dicat mihi V.D. Reverendissima, qvalia erant illa qvatuor animalia, plena oculis ante & retrò, habentia alas senas: Seu illa, qvibus erant qvatuor facies uni, & qvatuor pennę uni: Et qvales illę qvatuor Rotæ, qvarum corpus erat plenum oculis in circuitu earum.

ARTICVLVS V.

Archiepiscopus.

Si Logica occuparetur circa sola Verba, qvadrarent dicta Platonis ad ipsam contemnendam; sed qvorsum afferantur illa dicta nō video.

Episcopus.

Si Logica occuparetur circa sola Verba, non repręhenderet

eos Plato, qvi circa sola Vocabula occupantur, non intendentes in ipsas Res: neque contemnit Logicam, sed eos qvi non contemnunt Verba præ Rebus, hoc est Res Verbis, & non Verba Rebus accommodare student; contra hos (qvia sunt multi) statim in vestibulo hac spicula dirigere placuit.

ARTICVLVS VI.

Archiepiscopus.

Ars Docendi Scientias, nō est Definitio Logicæ, sed Methodi, nā Methodus est talis ars. Methodus verò non est ipsa Logica, sed fortasse vnum ex Instrumentis.

Præterea, si Logica nihil aliud est, nisi ars docendi Scientias, ea solis Magistris inserviet, non autem discipulis.

Episcopus.

Si Methodus est unum ex Instrumentis Logicæ, & est ars docendi scientias; Ergò non malè dixi Logicam esse artem docendi,

Et licet Definiverim Logicam esse artem Docendi Scientias, non solis tamen Doctoribus deservit, sed & Discipulis. Doctrina enim & Disciplina re ipsa eadem sunt, tantùm respectu vario differunt: oppositorum enim eadem ratio est: Nonne & Vos dicitis esse Logicam Docentem, & tamen non ponitis Discentem, licet & Discipuli ea utantur.

ARTICVLVS VII.

Archiepiscopus.

Modus cum ratione loqvendi, non conuenit Logicæ; qvia etiam Orator cum ratione loqvitur, & qvicunq; prudens; soli fatui sine ratione loqvuntur.

Episcopus.

Logica Ars, neqve pro se ipsa instituta est; neque pro fatuis, sed & pro Oratoribus, & pro aliis Scientiarum professoribus, ac qvibuscunqve prudentibus, qvi aliqvid sensatè dicere vel scribere volunt, qvorum Memoriam, & Yuditium mirificè adiuvat.

ARTICVLVS VIII.

Archiepiscopus.

Logica docens, & vtens malè oppugnatur. Non laboramus circa ista vocabula, qvæ non sunt omnino Latina, sicut neqve Latinum est

id..

sidicas: Logica qvæ docetur, potius dicendum Latinè; qvam docemur. Docens itaq; est illa, in qva traduntur præcepta Logica, qvomodo verbi gratia sit conficiendus bonus Sillogismus, & talis est tota Logica, qvæ propriè dicitur Logica. Vtens verò est, qvando in singulis Scientijs, beneficio illorum præceptorum, benè sillogizamus, & tunc non est amplius Logica, sed vel Phisica, vel Mathematica, vel Metaphisica, vel Theologia, vel Ethica, &c. Ita & Rhetorica alia est docens alia vtens: sicut alius est Rhetor, id est, qvi tractat præcepta oratoria, alius Orator: is enim plurimum differt à Rhetore. In scholis discimus qvidem Logicam, Rhetoricam, Grammaticam, sed in foro postea, non tractamus eadem præcepta Logica, Rhetorica, Grammatica, sed vel Philosophamur, vel Declamamus eloqvendo, persuadendo, laudando, accusando, &c. & loqvimur congruenter. Et aliud est docere, qvomodo fiat bona securis, aliud verò uti in cæduis sylvis bona securi: Et aliud est docere, qvomodo sit eqvus ad bellum instruendus, aliud verò eqvo instructo uti.

Episcopus.

Non sit Latinè à me dictum, Logica qva docetur, nec laboremus circa Vocabula; & aliud sit docere, qvomodo fiat bona Securis, aliud verò uti bona Securi; & aliud instruere Eqvum, aliud uti Eqvo. At non potest inde inferri illas esse duas Secures, & duos Eqvos, sed est eadem una Securis, & idem Eqvus. Ita dico esse eandem Logicam, Rhetoricam, & Grammaticam, & qva in scholis docetur, & qva in foro utimur, & conseqventer non esse duas Species Logicæ sed unam. Alioqvin & Grammaticam Rhetoricam, in Docentem & Vtentem dividere deberemus, & sic duas Grammaticas, & duas Rhetoricas haberemus, qvod nemo hactenus dixit.

ARTICVLVS IX.

Archiepiscopus.

Qvid si nesciat Philosophus, qvæ sit Rei Definitio, qvæ Partes, qvæ Species, qvæ Proprietates? Danda ergo sunt Instrumenta, qvibus hæc ignota possit cognoscere, & inde probare. Nam si nescit, neq; poterit probare ita esse, qvod nescit qvid sit. Logica uerò debet subministrare Instrumenta, qvibus ducamur in cognitionem rei ignotæ.

Episcopus.

Ego non possum dare alia Instrumenta, præter ista tria; Et

hæc quidem talia, quibus Philosophus earum rerum, quæ sibi benè sunt cognitæ, alijs quibus sunt ignotę, notitiam tradat. Ideo aveo scire à D. V. R. quæ sint illa Instrumenta Logica, quibus Philosophus, Rem sibi ignotam Definire, & in Partes vel Species suas Diducere, atque eyus Proprietates scire possit. Huyusmodi Instrumenta magno profectò precio comparanda yudico.

ARTICVLVS X.

Archiepiscopus.

Sola Definitio nominalis intelligitur à Cicerone, siue explicatio rei, seu positio Thematis.

Episcopus.

Definitio Nominalis, & explicatio Rei, sunt diversa. Cicero autem hoc loco apertè de Definitione Rei, & non Nominis loquitur.

ARTICVLVS XI.

Archiepiscopus.

Nonne est artis Dialecticæ ostendere Loca, seu Argumentorum Sedes? Athuc pertinet Inuentio.

Episcopus.

Verum est, Logica ostendit Loca seu Sedes Argumentorum; At Philosophus quærit, in eis Argumenta sibi necessaria. Sicuti Venator in lustris, quærit feras, quas quandoque Invenit, quandoque autem non Invenit.

ARTICVLVS XII.

Archiepiscopus.

Methodus non consistit in Diuisione, sed in ipsa Tractatione, ut in speculatiuis tractantur principia Rei prius, deinde ipsa Res; in practicis proponitur initio Finis, deinde indagantur Media, & hæc est duplex analysis.

Episcopus.

Id quod sentio de Methodo yam dixi. Quid differat Tractatio à Mothodo, & Dispositoione Orationis nescio. Sit duplex Analysis, attamen necessariò opposita Compositio datur.

AR-

ARTICVLVS XIII.

Archiepiscopus.

Est æqvivocatio à Logica Vtente ad Docentem. Vera Logica est sola Docens; Vtens verò indiget positione.

Episcopus.

Si sola Logica Docens est vera Logica, cur mihi vitio vertitur, qvod reprahenderim illos, qvi duas Species faciunt Logicæ?

ARTICVLVS XIIII.

Archiepiscopus.

Cęli mouentur, Terra qviescit, sunt Enunciationes, & tamen non sunt Partes, aut Divisionis aut Definitionis.

Episcopus.

Motus Cęlo, qvies autem Terræ, sunt proprietates naturales, congenitæ eis & inseparabiles. Ideoqve necessariò ingrediuntur in eorum Definitiones perfectas, & sic istæ Enunciationes sunt Partes Definitionum Cęli & Terræ.

ARTICVLVS XV.

Archiepiscopus.

Syllogismus solus est Verum & Totum Subyectum Logicæ, Qvia Logica debet regere, & securum reddere Intellectum humanum, ne erret in indagine, dum ex cognitis infert in cognitum. Intellectus porrò non eget directione in simplici appræhensione, neq. in Compositione aut Divisione, sed in solo Discursu. Qvum si qvid tractat Logica de Terminis, de Enunciationibus, et Propositionibus, ac Definitionibus: omnia tractat in gratiam Syllogismi. Et nunquam Logicus aut Definit aut Dividit, nisi vt inde formet Syllogismum, id est, ut doceat qvo modo Syllogismus debeat fieri bonus, et tutus, qvi concludat, nec decipiat, sive ratione Formæ, sive ratione Materiæ.

Episcopus.

Superius D. V. Reverendissima Artic. 1. dicit, qvod Logica tradat unum vel plura Instrumenta: Eodem Artic. dicit Definitionem, Divisionem, Argumentationem esse hęc Instrumenta:

De-

Deinde Art. 4. dicit Argumentationem esse præcipuum, & fortaße solum Instrumentum Scientiarum: Articulo 6. Methodum esse unum ex Instrumentis, Articulo verò 9. dicit esse plura Instrumenta, qvibus Philosophus ex notis ignota cognoscat. Hic autem asserit Sillogismum solum esse Verum & Totum Subyectum Logicæ. Et sic non possum assequi, qvid omninò sentiat de Methodo, de Argumentatione, de Sillogismo, de Logica, de Subyecto, ac Instrumentis eyus. Secundò dicit, qvod Logica dirigit Intellectum nostrum, non qvidem in consideratione Terminorum, Enunciationum, aut Definitionum, & Divisionum: qvia in ÿs non indiget directione, sed in solo Discursu, hoc est ut ipsa intelligit Sillogismo, in cuyus gratiam omnia ista tractantur. At ego vellem scire, qvomodo Intellectus ista benè tractare possit, sine directione. Cur Logici in ÿs omnibus enucleandis, tantum laborent, si etiam alogis sunt pervia? Et si sunt Principia seu Partes, ex qvibus formatur Sillogismus, propter qvem omnia ista tractantur: qva ratione indiget Intellectus Discursu, ut bonum inde formet Sillogismum, non indiget autem Discursu, ut cognoscat has eyus Partes. Itaqve vanus erat Socrates, qvi benè Dividentem adeò suspiciebat: Falsum est illud tritum in Scholis dictum: Qvi benè Distingvit, benè Docet? Tertiò dicit Logicum nunqvam Definire aut Dividere, nisi ut inde formet Sillogismum. At ego ipse in hac Logica, plures posui Definitiones & Divisiones, nec tamen ullum ex iis formavi Sillogismum; & hoc idem faciunt reliqvi Logici. Sed & Philosophi Naturales, Morales, Medici, & aliarum facultatum Doctores, multas & Definitiones & Divisiones in suis tractatibus ponunt; neq. tamen ex eis deinde Sillogismos formant. Nam Sillogismis tunc saltem utũtur, qvando cõtraria aliqua opinio seu obyectio, tacita vel expreßa exurgit, ut eam ratione data evertant. Qvid enim opus est concertatione Sillogistica, ubi nemo est, qvi se opponat? At in tradenda Scientia, perpetuus est usus Definitionum ac Divisionum, uti yam diximus.

ARTICVLVS XVI.

Archiepiscopus.

Philosophus ex proprietatibus colligit, per discursum Naturam

Rei

Rei; Ea enim per se est ignota, neqve innotescit initio, nisi post indagines, mediante discursu.

Episcopus.

Ego hoc loco non disputo, qva ratione Philosophus, Naturam rerum sibi ignotarum, indagare debeat. Sed ostendo modum, qvo sibi iam cognita, aliis qui ea non cognoscunt, commodè nota facere possit.

ARTICVLS XVII.

Archiepiscopus.

Grammatica, Rhetorica, Arithmetica practica, Architectura, & infinitæ similes artes, omnes sunt Orationes docentes; Ergo omnes istæ erunt Subyectum Logicæ?

Episcopus.

Etiam omnes, qvatenus Docentur & Discuntur. Nam sicuti quicqvid cuditur, subiicitur Maleo, Ita qvicqvid sermone vel scripto docetur, est Subyectum Logicæ. Et Ideo qvi vult benè Docere, qvamcunqve facultatem, opus est ut præceptis Logicis sit imbutus. Hinc fit qvod multi Grammatici, Yuristæ & alii malè doceant, qui illis carent.

ARTICVLVS XVIII.

Archiepiscopus.

Logica non docet Docere, sed docet Ratiocinari, & secundum multos, Docet etiam Dividere Definire, &c. Et si doceret Docere, nihil aliud traderet, nisi præcepta Methodi; nec seruiret nisi Doctoribus, & tamen seruit etiam Tyronibus, dum procedūt proprio Marte in rerum cognitionem, & sæpè mediante Logica, fecerunt discipuli plurimum negocij suis Magistris in Scientijs.

Episcopus.

Si Logica docet Ratiocinari, Dividere, Definire, Enunciare, qvi fit ut non doceat Docere? Qvo enim alio modo Docemus, nisi Enunciando, Definiendo, Dividendo, Ratiocinando? Et si Methodus docet Docere, qvomodo non etiam Logica doceat docere, qvum Methodus sit unum ex suis Instrumentis, uti D.V. Reveren-

rendissima fatetur. Art.6. Si tam apertę rationes non sufficiunt, addam auctoritatem Soarez, qui idem dicit quod ego; Disp.1. Sect.5. num.36 & 37. Quo modo autem serviat Logica, tam Discentibus quàm Docentibus, jam diximus.

ARTICVLVS XIX.

Archiepiscopus,

Definitio perfecta unica constat Propositione, seu Enuntiatione, non ergò pluribus constat.

Episcopus.

Clarum est unum non esse plura: at inde nihil concluditur. Addenda erat ratio huic assertiori, deinde refellendæ erant meæ de hac re probationes, quæ sunt in contextu. Verùm sua hæc sententia, non solùm contra me est; qui longas Definitiones facio, sed etiam contra ipsum Aristotelem, qui dicit Definitionem constare ex Genere, & Differentia; hoc est ex duobus Prædicatis. Duo autem Prædicata, duas Propositiones simplices faciunt. Nam Enunciatio simplex uno Subyecto & uno Prædicato subsistit, uti yam diximus.

ARTICVLVS XX.

Archiepiscopus.

Terminus Pluralis, & Singularis, sunt tantùm Grammaticorum: Nam in Logica sunt Vniuersalis, & Particularis, & Singularis, qvi est de solo certo Individuo. Vniuersalis verò & Particularis potest esse tam in numero singulari, qvàm in numero plurali, ut Omnis homo est animal, & : omnes homines sunt animalia. Ita: Aliqvis homo est prudens, & : aliqvi homines sunt prudentes. Currit, & fugit, non sunt Individuum, ut si dicas: omnis fugiens currit, omnis timidus fugit.

Episcopus.

Grammatici Latini, habent duos Numeros, Græci verò tres. Ita boni qvoqve Logici debent habere tres, vt clarè & distinctè loqvantur. Apud Grammaticos Animal, & Homo, currit & fugit, semper sunt Numeri Singularis; apud Logicos verò qvandoq; sunt numeri Vniversalis, qvandoqve Singularis; & Signo apposi-

apposito cognoscũtur cujus sint Quantitatis. Hac ratione: Omnẽ animal currit, & oĩs Homo fugit, sunt termini Universales. Itẽ hoc Animal currit, & iste Homo fugit, sunt termini Singulares. Vicissim: Animalia, Homines, currũt, fugiunt, apud Grãmaticos Latinos sunt semper numeri pluralis, qvia non habent Grammatici numerum Universalem separatum à Plurali Apud bonos autem Logicos, aliud est Universale, aliud verò Plurale, Nam dicere: Omnia animalia, & omnes Homines currunt, est Universale. Dicere autem: multa animalia fugiunt, vel: pauci homines currũt, nos putamus magis appositè dici Plurale, qvàm Particulare, uti vos loqvimini: Non enim agitur hic de Partibus, neqve de Particularibus, sed de Pluribus, Multis, & Paucis. Hic iterum habeat locum illa Platonis admonitio, ne Vocabula tantùm sectemur, sed in Res ipsas intendamus, & sic eis Verba accõmodemus.

ARTICULUS XXI.

Archiepiscopus.

1. Nihil agendo nugantur, Hoc erat probandum, & ostendendum, qvare nugantur.

2. Nomen, & Verbum, vt sunt partes Orationis, spectant ad Grãmaticum: qvatenus verò sunt partes Enunciationis, spectant ad Logicum,

Episcopus.

1. Manifestum est omnem Terminum, aut mente sola concipi, aut voce aut scripto exprimi. At hæc Divisio, & Consideratio, non solùm Terminis, sed & Enunciationibus, & Definitionibus, & cæteris omnibus Logicis Instrumentis, qvin & Grammaticis & Rhetoricis applicari põt, qvod tamẽ puerile esset, ideoqve minimè fit; qvia diversas Species, Differentiæ essentiales faciũt, & non accidentales, multò minus communes multis & non earum propriæ. Hoc idem diximus de Logica Utente, & Docente.

2. Benè dicit D. V. R. qvod Nomen & Verbum, sunt Partes Orationis, & qvod ad Grãmaticum spectent. Et ideo Enunciationes suas, Logici magis aptè in Terminos dividunt, nec indigent Nomine ac Verbo. Nam si admittimus Nomina & Verba in scholas Logicorum; necessarium profectò erit, admittere etiam Attributa eorũ; & sic incipient Logici, Nomina qvidem per Casus, & Numeros inflectere, Verba aũt per Modos & Tempora modulari.

ARTICVLVS XXII.

Archiepiscopus.

Enunciatio non benè Definitur, qvod sit Oratio breuissima. Primò quia potest esse etiam satis longa, vt si dicas: Qvicqvid in sua essentia, necessario includit sensum ac motum, debet connumerari inter animalia qvæ vivunt. Est vnà & vera ac perfecta Enunciatio, neque tamen est Oratio brevissima. Secundò qvia si dicas: Ego libenter cænarem, est Oratio brevissima, & aliqvid certi indicat, & tamen non est Enunciatio.

Episcopus.

Hic iterum Verba numeramus, ad Rem verò non attendimus: Nam hæc Oratio, qvæ Vocabulis redundat, Re ipsa brevissima est, & sic pronunciari potest: Qvicqvid sentit & movetur, est animal: Est bona perfecta & vera Enunciatio, at non simplex; habet enim duo Prædicata. Secunda Oratio: Ego libenter cænarem, si non est Enunciatio, quid ergo est? Non ne habet Subyectum & Prædicatum suum? Sed fortè dicet, eam non pertinere ad Philosophum? Id verò ego facilè concedo. At Logica non solùm Philosophis deservit, sed omnibus etiam alijs, qvi cum ratione loqvi volunt, uti yam diximus.

ARTICVLVS XXIII.

Archiepiscopus.

Cur negabat auctor de Veritate & Falsitate agendum Logico, si Argumentationem vt partem Logicæ affert, ad hoc vt Veritas & Falsitas innotescat?

Episcopus.

De Veritate, & Falsitate agunt ii, qvi illarum Rerum qvas profitentur Scientiam habent, & non Logici. Vt autem id efficiant & persvadeant, utuntur Argumentatione, cujus Modum ac Formam à Logicis mutuantur.

ARTICVLVS XXIV.

Archiepiscopus.

De qvarta Figura Galeni nihil dicitur, & tamen datur distincta a tribus Aristotelis?

Episcopus.

Postqvam D. V. Reverendiss. ita yubet, addam & Qvartam, in gratiam eorum qvi sentibus delectantur; Mihi via plana incede-

cedere yucundum est, & sufficit Prima Figura, qvin soli primi qvatuor Modi eyus, ad qvos cæteri omnes reducuntur.

ARTICVLVS XXV.

Archiepiscopus.

Non proceditur in prima Figura a Genere ad Species, nec in tertia à Specie ad Genus, neqve in secunda separantur Species ab inuicē.

Episcopus.

Hic verò agnosco meum errorem, nam spinas horrens, incidi in eas, dum clausis oculis; malui ducem seqvi cæcum, qvàm propius accedendo rem penitius intueri, Ideò expungo dicta.

ARTICVLVS XXVI.

Archiepiscopus.

Qvicqvid dicitur de Syllogismo & Argumentatione, est tantùm compendium eorum, qvæ a Logicis ordinarijs dicuntur, & nimium breve, neqve potest instruere Logicum, cum nimis multa sint dicenda de Demonstratione, & Syllogismo Scientifico, tam ratione Formæ, quàm ratione Materiæ, & Auctor profitetur se calle magis plano, ad arcem Scientiarum contendentes deducturum.

Episcopus.

Id qvod professus sum, me præstitisse puto, qvando ea qvæ, ut ipsa asserit nimis multa, & vti ego sentio, etiam nimis ociosa, Logici ordinarij, de Demonstratione & alijs dicunt, rescidi, rem in compendium contraxi. Sed consentiant ipsi prius, & dicant qvod est Medium illius eorum Demōstrationis Scientificæ; dent aliqvot exempla ex libris Aristotelis, qvi eam tot conditionibus oneravit, & seqvemur eos. Fateor me qvædam faciliora, à longè ostendisse, vel qvia piguit itineris, vel qvia Pedagogis, qvi in iis yuniores manuducere solent, nolui minerval præripere.

At ego D. V. Reverendiss. nimium mihi indulgentem experior, dum minora tantùm vulnera summo digito tangit. Itaq. expectabo validiora cauteria, qvibus tam hæc, qvàm reliqva, qvæ multorum existimatione, & plura & mayora huyus nostri fœtus carcinomata sunt, curentur.

FINIS.